ſit? Ullane adeo difficilis, adeoque ingenio noſtro oppoſita res eſt, quæ ad tantum hoc boni procurandum non ſit ſuſcipienda? *P. de la Colombiere Sermone pro Commemoratione Defunctorum.*

Quid viris bonis mortem optabile reddat.

Nihil cupidius optandum eſſet fideli, quam cita mors, qua cito ſuam aſſequitur felicitatem, citiuſque Deo fruitur. Quamquam diuturna vita iis omnibus careret periculis, de quibus ſupra locuti ſumus, nonne vitæ diuturnitas ingens eſt malum, quo prohibemur, ne cito in æternum deliciarum locum ingrediamur? Hac de cauſa Propheta *Pſalm.* 41. dicebat: *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die, & nocte, dum dicitur mihi quotidie: ubi eſt Deus tuus? Hæc recordatus ſum, & effudi in me animam meam.* Hæc cogitatio in ſanctis omnibus peperit vitæ præſentis faſtidium; ubi ſecum reputabant, æternam felicitatem diuturno in terris incolatu magis, magiſque differri. Ita ſane, fideles, mors optabilis eſt, quia eſt immortalitatis noſtræ principium, noſque attollit ad Deum; tantum abeſt, ut ſit pertimiſcenda. Timoris ſenſus, S. Cyprianus ait, iis repugnat, quæ quotidie in oratione Dominicali petimus; Deum enim rogamus, ut quam primum adveniat mors, quæ nos in Cælorum regnum inducat, cum dicimus: *Adveniat regnum tuum*: & nihilominus voto prorſus oppoſito diutius hic cupimus permanere. Oramus, ut Dei voluntas fiat, cumque evocamur a Deo, nonniſi ægre, & gravate obtemperamus; ex hoc mundo ex neceſſitate potius, quam ex obedientia migramus: & gloriæ coronam ab eo recipere volumus, ad quem inviti proficiſcimur. Cur ergo in precibus, quas effundimus, Deum precamur, ut cœli regnum adveniat, ſi tantopere ſervitutem noſtram deperimus? Cur enixius efflagitamus ex vitæ hujus ærumnis liberari, ſi malumus hic eſſe dæmonis mancipia, quam in Cœlis cum Jeſu Chriſto regnare? *P. Delingendes Sermone primo de morte.*

Prætextus, qui prohibet, ne aliqui viri boni mortem exoptent.

At enim times non mortem, ſed adventum judicii Dei; cumque tibi auferatur facultas lugendi ſcelera tua, illa nequis ultra pœnitentiæ lacrymis delere. Verum eſt, terribilia eſſe Domini judicia; ſed ſunt etiam inevitabilia: quantumvis diuturna ſit vita tua, non ideo erit innocentior, & in oculis Dei magis accepta; immo timendum eſt, ne peccata tua non ſecus ac dies tui multiplicentur. Numerus ſcelerum tuorum nequaquam annorum numero imminuetur; ſed magnitudo charitatis, & dilectionis tuæ peccata cooperiet, nihilque eſt, quo amorem tuum Dei Filio magis teſtatum facere valeas, quam deſiderium, quod hoc peccati corpus deſtruatur; quod hoc corpus, inquam, quod imperiis illius obnititur, quod illum afficit contumelia, quod toties contra ſanctiſſimas illius voluntates ſe attollit, exterminetur, redeat in pulverem, & in ſcelerum ipſius pœnam in cineres redigatur. *Abbas Trappenſis in vita Monaſtica officiis. Tom.* I. *cap.* 13. *de mortis Meditatione.*

Mortis cogitatio omniū ſenſibilium rerum affectionem extinguit in nobis.

Præcipuus effectus, quem in nobis mortis cogitatio producat, eſt omnino vacuum efficere cor, ibique delere quidquid amoris reliquum eſſe poteſt erga res ſenſibiles, & prohibere, ne recentem ullam affectionem concipiat. Jeſus Chriſtus hac uti voluit ratione, ut eorum confunderet inſaniam, qui terrenis bonis adhæreſcunt, dicens illi, prope eſſe, ut mors illis eripiat quidquid tanta cura congeſſerunt, eorumque ſollicitudines inutiles futuras: *Stulte, hac nocte animam tuam repetent a te: quæ autem paraſti, cujus erunt?* Luc. 12. Homines ideo tanto ardore ſibi domos ædificant, ſubſtantias augent, honores, & opes inquirunt, quia ſibi voluptates, atque oblectamenta comparare contendunt. Spes iiſdem perfruendi cauſa eſt deſideriorum, & actionum ſuarum; & ambigi nequit, quo minus a deſideriis, & actionibus ceſſent, ubi illis fuerit perſuaſum, labores omnes nihil ſibi eſſe profuturos. Ita qui mortis cogitationem jugem ſervaverit, omnia fluxa tamquam jam præterita intuebitur; ſeipſum tamquam mortuum inter viventes cogitabit, vel potius tamquam inter mortuos viventem. *Idem.*

Alia memoriæ utilitas eſt Cœli deſiderium nobis inſpirare.

Alia inſignis, quæ in mortis memoria, & cogitatione invenitur, utilitas hæc eſt, quod terrena removens admovet cœleſtia; quod erga illa æneum nobis cor effingens, carneum erga iſta facit; & prout in nobis mundi amorem evertit, efficit, ut ibi Jeſu Chriſti amor dominetur. Cauſa vero, propter quam cœleſtibus non afficimur bonis, & beatitudo, quam Deus ſibi inſervientibus pollicetur, quamvis infinita ſit, nos adeo leviter movet, hæc eſt, quod illa tamquam longinqua conſiderantur, & quod intervallum, quo ab illis ſeparamur, ita ſpiritui noſtro eadem imminuit, ut in opinione noſtra nihil comparari poſſe videatur cum pœnis, quæ ad eam promerendam ſunt perferendæ. At mortis cogitatio omnia hæc aufert intervalla; homo virtute præditus, qui illam in corde ſuo alte inſculptam gerit, jugiter habet ob oculos ſuos præſentem æternitatem. Quaſi unico ab eadem momento divideretur, aſſidue æternam felicitatem expectat. *Idem.*

De bonis generatim quæ mortis cogitatio producit.

Bona, atque ſubſidia, quæ viri boni ex mortis cogitatione, & recordatione percipiunt, tot, tantaque ſunt, ut parem illis ideam vobis adſtruere minime valeam. Cum enim dixero, hac cogitatione excitari fervorem, animarum inconſtantiam, & mobilitatem confirmari, mentis evagationem prohiberi, pœnitentiæ jucunditatem afferri, humiliationum, & contemptuum acerbitatem auferri, terrenarum curarum odium, diligentiſſimam vigilantiam, ardentem orationem produci; pietatem inſpirari, atque foveri; nihil a me vobis dictum erit, niſi quod a Sanctis viris accepimus. Beatos illos, qui haſce maximi momenti veritates nequaquam ex libris petere debent, ſed qui illas propria experientia didicerunt! *Idem.*

Mortis cogitatio efficit ut Dei judicia timeamus.

Difficillimum eſſet mortis cogitationem fovere, & ob oculos non habere judicia Dei. Hæc ſunt ita invicem nexa, ut in cogitationibus noſtris ſeparanda non ſint. Mors nihil habet, quod illam propius ſubſequatur, quam judicium a Deo de nobis habendum. Mori, & judicari unum ferme, & idem eſt. Mortis cogitatio non eſſet utilis, niſi cum judicii cogitatione eſſet conjuncta. Liquet ſatis hanc plerorumque hominum eſſe ſententiam; ipſos non mortem, ſed quæ mortem ſubſequuntur, videlicet Dei judicia &c. reformidare. *Idem.*

Mirum eſt quod homines ad eo parum de morte cogitent.

Hæc eſt cogitatio, cui indeſinenter vacare a Jeſu Chriſto jubemur, dicente: *Vigilate itaque quia neſcitis diem, neque horam.* Profecto hic dies, & hæc hora adeo terribilis eſt, negotium vero de quo tunc agitur, tanti momenti, ut non ſatis mirari poſſimus, quod mortales non ambigentes de illius acceſſu, ad alia quælibet ſuam cogitationem circumferant. Si enim aliquem mones, domum illius fatiſcentem laborare, & brevi caſuram, ejuſque ruinam quolibet momento contingere poſſe, pedem illinc ſtatim efferet: cum vero ſciat, circumundique ſibi graviſſima imminere mala, quorum iſtud ne levis quidem eſt umbra; cum probe teneat, nullum eſſe momentum, quo morte occupari non poſſit; nihilominus quin hæc ne cogitet quidem, tuto, ac tranquille vivit, quaſi nihil ſibi eſſet metuendum. Repentinæ neces, inopinati caſus, quibus tot mortales ex viventium numero exturbantur, oculos quidem illorum afficiunt, animum vero non item. Eorum durities omnibus reſiſtit, quorum ſecuritatem ſi videres, illos ab Apoſtolo exceptos fuiſſe diceres, neque de illis fuiſſe locutum, cum ait ad Hebr. 9. *Statutum eſt omnibus hominibus ſemel mori. Idem.*

Cum juſtus ſeipſum excutit, nihil in ſe invenit, non ſolum, quod ſibi placeat, verum etiam quod ſuum timorem non augeat. In anima ſua videt originem malorum omnium, quæ re ipſa non patrat, ſed quæ proculdubio patraret, niſi peculiari cura Deus illius tueretur integritatem. Detegit terribilem illam affectionum turbam, quæ gratiæ vinculis nexæ quidem, non autem evulſæ, totidem ſunt veluti rugientes leænæ, quæ inceſſanter ſanctiſſima ejuſdem evertere conantur conſilia. Sentit in ſenſibus ſuis peccati legem indeſinenter legi rationis repugnantem; & inde magis dolet, quod non ita fideliter illis uſquequaque reſiſtit, ut non aliquid ſemper excidat, quod illius laceſſat ſanctitatem, cui diſplicere neque vult, neque debet. Ita veretur, ne multiplicatis infidelitatibus ſuis Dei fatigetur patientia, ejus miſericordia arctetur, & ne tandem omnino negata ſibi finalis perſeverantiæ gratia omnino derelinquatur. *Idem.*

Magis afficimur cogitatione mortis, cum proxima eſt, quam cum remota.

Quamcumque, dum vivimus, meditationi mortis curam impendamus, verum eſt tamen, nos hoc objecto numquam affici magis, quam cum morte accedente admonemur, nihil nobis ultra ſperandum eſſe, atque intra paucos dies, vel horas fortaſſe ad ſupremi Judicis tribunal eſſe prodeundum. Tunc homo præterito occupatus, cujus agnoſcere incipit exitum; juſti Dei timore perculſus, cujus præſentiam ſuſtinere debet; perterritus ira Domini æquiſſimi, atque perſpicaciſſimi, qui de rebus omnibus illi creditis rationem expetiturus eſt, perterrefactus vaſtis æternitatis, quam eſt ingreſſurus, ideis; in hoc rerum novarum ordine, in fatali hac circumſtantia moriens circumundique incertos volvit oculos, & quærit perfugium, ubi tranquillitatem, & ſecuritatem inveniat. Hæc ſors eſt peccatoris, qui morte adventante terrores invenit, ubi juſtus ſuaviſſima ſolatia nanciſcitur. *P. Maſſilon tom.* 2. *Quadrageſima Sermone de beata morte juſtorum.*

O bea-

Gaudium, & conſolatio juſti morientis.

O beatam juſtarum animarum in morte ſortem, cujus ſpes jamjam perfecta immortalitate eſt coronanda! Inde oriuntur ſuaves illi juſti morientis affectus. Quæ voces, quæ ſuſpiria erga ſanctam patriam! Quæ iterata gaudia, cum illuc ſeſe ingredi ſentit! Numquam exiſtimaſſem, ſanctus homo ſpiritum efflans exclamat, tantam moriendo percipi voluptatem. Hinc illa ſanctorum impatientia, qua ex vitæ hujus ergaſtulo liberari peroptabant. David nihil impenſius orabat Deum, niſi ut ante Dei ſui faciem appareret: *Quando veniam, & apparebo ante faciem tuam?* Pſalm. 41. De hoc nonniſi præ gaudio exultans verba facit Apoſtolus *Philipp.* 1. ſancta ardet impatientia beati illius momenti, quo anima ex corporis liberata carcere ad Deum principium, finemque ſuum revertatur: *Deſiderium habens diſſolvi, & eſſe cum Chriſto.* Hinc enixa primorum fidelium vota, qui inceſſanter mortem cupientes, & ſancta ſalutis ſuæ fiducia repleti, illam ſuavem appellabant ſomnum, tutiſſimum portum, ac tranſitum ad vitam. Neque pati poterat Apoſtolus eos, qui ob cognatorum, amicorumque obitum mœrore conficiebantur, dicens, hoc eſſe infidelium poſt mortem nihil expectantium. *Idem.*

Mirum eſt, quod adeo parum de morte cogitetur, quamvis nemo dubitet, ſe aliquando moriturum.

Quamvis nihil naturæ durius videatur, quam moriendi neceſſitas, nihil tamen eſt, de quo minus ſit ambigendum. Nemo hac in re ſeipſum inani decipit ſpe, atque tot ſæculorum experientia, quibus omnes homines ſine ulla exceptione, & privilegio mortui ſunt, hoc omnibus ita perſuadet, ut illi ipſi, ſi ſupra hominum ſortem aſſurgere voluerunt, ſibique veluti numinibus thura adoleri juſſerunt, nequaquam ita dementes fuerint, ut ſe numquam morituros ſibi pollicerentur. Quis autem non putaret, fideles, qui ea, quæ bonam, malamque mortem conſequuntur, norunt, & ſe noſſe profitentur, jugiter terribilibus hujuſmodi objectis intentos eſſe? Et ſane hæc Dei mens eſt illa nobis indeſinenter ob oculos objicientis. Hoc nos ratio docet, quæ efficit, ut in rebus multo minoris momenti hoc ipſum faciamus: attamen hoc illud eſt, ad quod hominum plerique oſcitantius animum advertunt: *Eſſais de morale, tractatu primo de* 4. *finibus.*

Homines plerumque morte occupantur.

Nihil morte communius, nihilque infrequentius quam eadem occupari. Plures repente opprimuntur ea morte, quæ proprie ſubita dicitur. Alii iis afflictantur morbis, qui rationis uſum auferentes, quamvis non ſtatim inferant necem, eumdem producunt effectum ac mortes ſubitæ, eo quod prohibent, ne ſeſe morti diſponant: *Subitum eſt homini, quod ante cogitare non potuit*, Sanctus Gregorius lib. 15. Moral. cap. 2. Sed quin eos ſpectemus caſus, qui minus vulgati ſunt, quodam in ſenſu dicere poſſumus, omnes fere mortes ſubitas, ac inopinatas eſſe; paucæ enim ſunt, quæ aliquantiſper ante prævideri potuerint. Ædium lapſus vulgo prævideri poteſt; omnes enim illius partes introſpiciuntur, neque deſunt certæ viæ id cognoſcendi, cum dubitatur. Sed humanum corpus moles eſt, cujus machinamenta latent, & quæ repente ruinam facere poſſunt, quin aliquis valeat præſentire. Hic longe a ſe putat mortem abeſſe, qui eam in ſinu gerit; & ille reipſa hoc momento longius abeſt a morte, qui paulo poſt illi proximus futurus eſt. Ad corporis noſtri machinam perturbandam fere nihil requiritur. *Idem.*

Mors rerum omnium privatio.

Ut intelligamus, quid ſit mors, & quos effectus producat, ſatis eſt concipere, hanc eſſe fracturam omnium vinculorum, quibus anima creaturis hærebat; videlicet hanc generalem eſſe ſeparationem omnium ſenſibilium objectorum, omnium voluptatum, quæ ibi inveniuntur, omnium humanarum affinitatum, & denique omnimodam rerum omnium, quæ in mundo amabantur, ſeparationem. Qui moritur, non amittit id ſolum, quod divitiæ vocantur; amittit aerem, terram, ſydera, reliquamque naturam; amittit cognatos, affines, amicos; amittit omnes homines; amittit omnes ſubſidium, & opem, atque generatim omnia ſuarum affectionum, & votorum objecta! *Ibidem.*

De morte cogitandum; ad hoc per intervalla ab Eccleſia excitamur.

Nequaquam fert animus terribilem hic mortis deſcriptionem afferre, neque univerſalem, & inevitabilem illius neceſſitatem probare; quis illam ignorat? & ab ipſis mundi incunabulis aliquiſne ita inſanus extitit, qui eam in dubium accerſeret? Ubique exequias videmus; ſemper lugubrem nolarum ſonitum audimus; in Templa, ubi majores noſtri tumulati ſunt, convenimus: inter tot, ac tam triſtitiam objecta mortis idea nobis in ſingulos greſſus occurrit. Sed veritatem vobis oſtendere cupio, quæ majoris mihi momenti, atque utilitatis videtur, conformem conſilio, quod ſibi proponit Eccleſia, nobis ob oculos ſtatuens mortem adoleſcentis in ipſo ætatis flore prærepti in hujus diei evangelio, vel in Cinerum cæremonia in ipſo Quadrageſimæ ingreſſu. Eccleſia divini ſpiritus lumine ducta, nihil antiquius habet iſta cogitatione: ad hanc nos invitat, & urget, efficitque, ut inde ſalus noſtra pendeat. Cur hoc; quandoquidem nihil frequentius, quam mortuos videre? Quia ſcit nihil vulgatius, & funeſtius nihil eſſe mortis oblivione. *P. Stephanus Chamilard.*

Mors neque cogitanda, neque recipienda eſt more philoſophorum.

Verum eſt. Ethnicos fortitudinem in mortis, ac impedimentum ſibi periculorum contemptu conſtituiſſe, necnon philoſophiam ſuam ſpecioſo nomine meditationem mortis vocaſſe. Sed fidelis mortem eodem pacto ſpectare non debet, neque ob eaſdem cauſas, ut illi, vitæ jacturam conſolari. Aliquo enim in pretio habenda eſt inanis hæc exiſtimatio, qua fruitur apud poſteros, ipſi videlicet non defuiſſe fortitudinem, conſtantiam, firmitatem, & quamdam animo Stoicæ magnitudinem? Inania phantaſmata, quæ Ethnicos fefellerunt, & quibus neſcio an in ipſa etiam Chriſtiana religione plerique eorum, qui militiæ nomen dederunt, ac mortem ipſam tanta audacia provocant, iiſdem ſuam debeant virtutem. Etenim fruſtra hunc ſtuporem ſimulas: ſi oppidum oppugnandum eſt, ſi exercitus in aciem eſt diſpoſitus, & jamjam manus conferendæ ſunt, prima, quæ tibi occurrat, eſt mortis cogitatio: homo vero chriſtianus, homo alioquin prudens, alteramque credens vitam, ruet in apertum mortis periculum? Niſi ſanctus ſit, aut Stoicus, quomodo hoc facere poſſit non intelligo. *Idem.*

Effectus cogitationis mortis.

Si cogitaremus ſerio, mortem eſſe tranſitum a temporali vita ad æternam, certe eum in ſtatum adduci conaremur, ubi in æternum eſſemus beati. Cur? Quia ſecundum cordis noſtri diſpoſitionem, vel vitam hanc tamquam pœnarum, vel tamquam gloriæ, & felicitatis æternitatem reſpiceremus. Numquid tamquam æternitatem pœnarum? Quot ſalutares timores; quot ſanctæ præcautiones! Non ſolum mundi voluptatibus non afficeremur, ſed omnia nobis periculoſa viderentur, omnia ſuſpecta nobis eſſent; nunquam ne pedem quidem tuto proferre exiſtimaremus: minima etiam deſideria noſtra diligenti examine excuteremus; de ipſis ſolatiis, quæ omni culpa vacare creduntur, diffideremus; omnes greſſus noſtros exploraremus; & ut verbo me expediam, ſingula vitæ noſtræ momenta talia efficeremus, quale illud eſſe cuperemus, cum morti proximi erimus, ubi anima noſtra hac tantum incertitudine laborabit. Numquid pœnarum æternitas pars erit mea? Oportet eo in ſtatu fuiſſe eum, qui omnem illius terrorem velit exprimere. Immo nullus ſcio, utrum fieri poſſet, quod diutius vitam produceret homo, qui indeſinenter ſerio hoc vellet meditari. Saltem teſtatur hiſtoria inſignes ſanctitatis viros hac moditatione ad extrema fuiſſe redactos, & niſi illos ſuſtinuiſſet Deus, eorumque timores imminuiſſet, aliis lætioribus conſiderationibus, illos reipſa fuiſſe morituros. O beatum animæ ſtatum, ubi fieri ferme non poteſt ut ſeſe aliquo ſcelere polluat. Tu ipſe, o Deus, per os Eccleſiaſtici *cap.* 7. id nobis promittis: *Memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis*; quibus S. Bernardus addit: *Nimirum quod hæc cogitatio maxime faciat timoratum, timor expellat peccatum, negligentiam non admittat. Idem.*

Quid fiet ſi mors tamquā æternitas beata conſideretur.

An tamquam beatæ æternitatis principium mortem conſiderabitis? Tunc quotieſcumque vos mortales eſſe cogitabitis, cor veſtrum ſupra mortalia, & ſenſibilia aſſurget, ardentibuſque votis in illam evolabit gloriam, ad quam anhelabit. Quod inter æternæ illius, & terrenæ hujus vitæ bona diſcrimen! Ibi pura vobis videbuntur, ſine mali immixtione, æterna; hic vero e contra in oculis veſtris erunt veluti imperfecta, tranſitoria, craſſa; vel melius dicam, inania, chimærica, apparentia; tunc tantum aberit, quod cor veſtrum humi repere, ac perituris objectis noxiæ adhæreſcere patiamini, ut ægre, gravateque eam illis curam, quam neceſſario ſtatus viatoris efflagitat, impendatis. Ita naturale homini eſt felicitatis deſiderium, ut hi properantis animæ impetus non percipi nequeant. Licet etiam non iiſdem ageremini ardoribus, quibus Apoſtolus, ut in illa erumperetis verba: *Deſiderium habens diſſolvi, & eſſe cum Chriſto*: ad Philipp. 1. quamvis illum perfectionis apicem nondum eſſetis aſſecuti, ut nullum iſtic ſolatium inveniretis, niſi in ſpe, quod finis veſter propius adſit; quamvis impatiens cupiditas unico, ſupremoque bono perfruendi nata non eſſet, cum regio Propheta de vitæ diuturnitate conqueremini: ii tamen impetus eſſent, qui nonniſi electas, primique ordinis animas decent. Saltem hoc honore vos dignos præſtare ambiretis, nihilque negligeretis eorum, quæ vobis ad eumdem aditum poſſent aperire. *Idem.*

Cum

Mortuorum intuitus ſæpe magnam efficit impreſſionem in illis, a quibus attentius conſiderantur.

Cum attentius conſideratur homo, qui nuper efflavit animam, verum eſt, extinctos oculos, pallidam faciem, frigidum, & immobile cadaver, os deformatum, ubi videntur adhuc convulſionum reliquiæ, corpus a conſanguineis, filiis unice dilectis, ſervis fidelibus, conſtantibus, ſinceriſque amicis derelictum, rebus omnibus expoliatum, unicoque linteo involutum: & ſi poſt aliquot dies e tumulo educatur, hunc vermium acervum, graveolentem, horribilemque putredinem; carnem ſemeſam, tabum, & luem vehementiſſimos quoslibet affectus extinguere poſſe. Nobilitas quælibet magis ſuperba ibi humiliatur, pulchritudo quævis ſuis illecebris freta ibi ſe ipſam contemnit. Sexcenti converſi ſunt oculos conjicientes in putrefacta cadavera vel eorum, qui in ſe mortalium omnium admirationem converterant, ſeu propter vim, atque potentiam, ſeu propter res præclare geſtas, vel adoleſcentularum, quæ & forma, & amaſiorum numero erant inſignes. *Idem.*

Senſus conſcientiæ in morte fovet, qui bene vixit.

Bono viro morienti quam jucunda accidet recordatio pietatis, qua vivens ſe exercuit, & meritorum, quæ ſibi comparavit! Ecce me tandem ad ſtadii finem. Non agitur modo de humanis opibus, de augendis redditibus, de prædiis acquirendis, de ſtatuenda domo. Hæc omnia pro me tranſierunt: ſed hoc agitur, quod quamprimum coram Deo mihi prodeundum eſt, bonuſque vitæ finis imponendus. Scio equidem me, Domine, peccatorem eſſe. Si mecum egeris ſecundum totam juſtitiæ tuæ ſeveritatem, hei mihi! Quid in me reperies, quod me dignum eo præbeat auxilio, quod ex manu tua expecto, & quod petere audeo! Verum mihi videor, Domine, aliquo modo in miſericordia tua ſperare poſſe futurum, ut in extremo vitæ hujus articulo ab illa non deſerar, quandoquidem neque me ipſum uſque in præſens penitus deſerui. Fateor equidem me non præſtitiſſe quidquid opus erat, ut terribili huic, in quo ſum, periculo me præpararem; verum exiguum illud, quod præſtiti aliqua remuneratione haud carebit; & hæc mihi maxima remuneratio eſt, ut in hoc mortis articulo omnipotentem protectionem tuam mihi largiaris. *Idem*

Acceptatio mortis, & divinæ voluntati ſubmiſſio.

O Deus! quandoquidem præcepiſti, ut morerer, humiliter juſtæ tuæ ſententiæ acquieſco, neque detrecto mortem, quam tot ſceleribus meritus ſum. Hanc æquo animo, & in pœnitentiæ ſpiritu accipio, & non abnuo, animam meam a corpore ſeparari, eo quod incompoſitis affectionibus ſuis obtemperaverit. Eſto corpus hoc tumuletur, pedibuſque calcetur in mei luxus, atque ſuperbiæ pœnam, vermium pabulum fiat, & quod nimis commoda ſua adamaverit, computreſcat. Eſto privetur ſenſuum uſu, quibus ad te lædendum abuſus tui, bonis omnibus exuatur in pœnam amoris, quo illa deperii, & abuſus, in quem eadem converti, ac tandem æternæ oblivioni tradatur, eo quod dum vixi, tamdiu oblitus ſum tui: hoc unum poſco, *ut moriatur anima mea morte juſtorum*. Num. 23. *P. Novet in receſſu quodam de præparatione ad mortem.*

Semper parati eſſe debemus morti.

Nullum in vita monumentum eſt, quo parati eſſe non debeamus, ut Dei tribunal adeamus, ſi bene mori, ſalutemque noſtram certam facere cupimus. Quare? Quia nullum eſt vitæ noſtræ momentum, quod nobis conceſſum non fuerit, ut noſmet morti præpararemus: quia nullum eſt momentum, quod plurimum æternitati noſtræ conferre non poſſit; quia nullum momentum eſt, quod extremum vitæ noſtræ eſſe nequeat; quia ſalutis noſtræ negotium tanti momenti eſt, ut tota vita vix ſatis eſſe poſſit, ut rite illud procuremus; quia denique ſanctiſſimus quiſque toto vitæ ſpatio in id animum intendit, ſciens id, quod S. Auguſtinus inquit, Dei filium voluiſſe diem mortis noſtræ latere, ut omnibus vitæ noſtræ diebus de morte eadem eſſemus ſolliciti, neque enim vivimus, niſi ut bene mori diſcamus. Tempus non eſt defenſionis argumenta inquirendi, cum Judex mortis ſententiam laturus eſt; tempus non eſt ad amuleta confugiendi, cum veneni vires cor ipſum infecerunt; tempus non eſt arma præparandi, cum hoſtis in aciem deſcendit. *Idem.*

Verum eſt, Deum eſſe miſericordem, & quod viribus ſuis homo præſtare non valet, hoc Redemptoris gratiam, ubi illi placuerit, efficere poſſe. Verum quemadmodum divinæ intereſt bonitati, in morte eos non derelinquere, qui fideliter, dum viverent, eidem inſervierunt, opus quoque eſt, illius effulgere juſtitiam permittendo, ut qui illius obliti ſunt, dum bene vivendi & tempus, & adminicula habebant, cum morituri ſunt, ſui ipſius obliviſcantur, & ſalutis ſuæ negligant curam. Quam felix igitur, & ſapiens eſt, qui modo ſe talem ſtudet efficere, qualem in morte a Deo vellet inveniri! *Idem.*

Actus confidentiæ in Deo prope morte eliciendus.

Eo momento, Deus meus, cum ad æternitatis januas adſtabo, redactus ad neceſſitatem ex hoc mundo egrediendi, omniaque relinquendi, relinquendus ab omnibus; eo momento, quo conſanguinei, & amici nullum afferre poſſunt auxilium, undenam expectare potero malorum meorum ſolatium, & in quo ſpem meam collocare? ad quem confugere? nonne ad te, Domine, qui omnipotenti brachio tuo infirmum ſuſtinere potes, lapſum relevare, ab hoſtibus in extremo eo certamine laceſſitum tueri, & victorem coronare? Ad te igitur confugio, quia mihi perfugium es, portus, ſpes, ſalus, omnia. Eja ergo anima mea hoc vitæ, quod ſupereſt, breve ſpatium in magni hujus Dei ſervitio impendamus &c. *Idem.*

Boni morientis tranquillitas.

Quam longe inter ſe tunc temporis diſtant ſtatus peccatoris, & juſti! Quid enim in morte fidelis hic, veruſque Chriſtianus optare poteſt? Quin re ipſa eſſet pauper, pauper erat corde. Ob oculos ſuos mundi figuram effulgere videbat, quin oculi perſtringerentur. Omnia novit pericula, miſerias omnes, omnem improbitatem, & corruptionem mundi hujus fallacis, & reprobi. Cum ergo inanis hic fulgor, cujus vanitas, & illuſio illi comperta fuerat, & explorata, evaneſcit; cum bona, quæ ex Apoſtoli conſilio poſſidebat, quaſi ea non poſſideret, ex manibus ejus elabuntur; cum hæc fragilis caro, hoc mortale corpus, cujus inimicus fuit, non cultor, ſub humanæ infirmitatis pondere, ac ſub naturæ lege cedere incipit; quidnam illum retinet? quid moratur? Fructus eſt jam maturus; ultro ex arbore decidit, quippe illi non hærebat amplius, & ſine vi, ubi primum arbor excutitur, cadit. Quænam conſolatio, cum ſibimetipſi ait: morior, e mundo egredior, hoc eſt fallacia relinquo bona, quæ contemnebam, & quæ reipſa Chriſtiano contemnenda ſunt. Donec ea poſſidebam, in illis requiem meam ſtatuere non poteram, neque integrum erat mihi, in illis vanas voluptates inquirere. Quid ergo prodeſſet mihi, diutius id ſervare, quod amare prohibeor? Morior; nempe non gemam ultra in hac exilii regione, non ultra obnoxius ero inimicis, ærumnis, ſollicitudinibus, laboribuſque, qui omnino ſeparari nequeunt ab ea vita, ubi quotidie aliquid perferendum eſt, Morior: videlicet, non verſabor ultra in occaſione te, Deus, laceſſendi, nulla mihi amplius ſuſtinenda erunt vel intra me, vel extra me prælia, prælia adeo frequentia, periculoſa, gravia, importuna. Si animus non adeo perfecte a terrenis rebus ſemper divulſus eſt, ſemper tamen ſubmiſſa voluntas eſt, omnes repellens ſenſus, quos natura divinis opponit imperiis, ſanctas revocans ideas, in quibus enutrita fuit, ſibi in virtutem convertens id, quod neceſſarium eſt, ac morte ipſa utens, ut contra mortem eamdem roboretur; hoc eſt ſine ullo dolore ea amittens bona, quæ prætereunt, ob hanc ipſam rationem, quia prætereunt. *P. Girouſt ſermone de bona morte.*

Juſtus modo ſeipſum reſpicit veluti victimam, quam Deus immolat gloriæ ſuæ; neque alia eſt ara, quam lectulus ipſe, ubi ſub percutientis manu ſe humiliat. Ibi victima offertur, ibi mactatur: ibi opus, ut gladio pectus tranſverberetur, igni abſumatur, & holocauſtum perficiatur. Hoc opus eſt, Deus: ſacrificium hoc tibi debetur; & eximium inde fructum percipio, ſi illud acceptare digneris. Modo ſeipſum conſiderat, veluti ſontem, quem punit Deus, & quem divina expiat miſericordia illum percutiens. Cum enim bonum hominem dicimus, auditores, non ſemper intelligendus eſt aliquis primæ magnitudinis Sanctus, a minimis etiam imperfectionibus expeditus, & qui coram Deo ita æs alienum diſſolverit, ut divina juſtitia nihil habeat, quod ex illo repoſcat. Ægrotus pœnitens ſeipſum condemnat, ac benedicit judici punienti, ut miſereatur, & non parcenti, ut melius parcat. Modo in humili ſubmiſſione ſupremam adorat Creatoris potentiam, qui illum efformavit, & qui ad libitum de opere ſuo diſponit. Deus vult, Deus jubet; tua, Domine, fiat voluntas, non mea. Modo Jeſum Chriſtum e cruce pendentem intuitus, ſibimet animos facit, vel rubore ſuffunditur. Tu Domine, ante me, & multo magis, quam ego, paſſus es. In cruce morior, ut tu, o me beatum, ſi tecum in gloria regnavero! *Idem.*

Inania eorum in morte vota, qui male vixerint.

Cur nequit peccator primos ætatis ſuæ annos revocare? Cur nequit iterum renaſci, ac recentem ſibi viam ſternere? Cur nequit repetere viam, a qua ſtatim, ac tamdiu deerravit? Cur nequit iterum ſtadium ingredi, ac iterato curſu pretium, quod ſibi propoſuerat, referre? Heu inania deſideria illum magis, magiſque affligentia! Inde enim internus oritur vermis, conſcientiæ ſtimuli, amara probra, quibus ſeipſum redarguit, ſententia, quam ipſe in anteceſſum primus contra ſe profert; cum interim vir bonus, juſto quidem noxarum ſuarum dolore tactus, ſed vehementi animatus confidentia immutabili tranquillitate perfruitur, ſolidamque pacem in præteritorum bonorum operum recordatione nanciſcitur. *Idem.*

Excellens ſe ad mortem præparandi ratio eſt cogitare, quod poſt mortem ultra mereri non poſſumus.

Egregia eſt de morte cogitandi ratio, illam tamquam meritorum noſtrorum finem ſpectare, credere hoc extremum eſſe ejus vitæ momentum, quæ nobis conceſſa fuit, ut ad cœli acquiſitionem impenderetur, & momento hoc elapſo, nihil fieri poſſe, quod æternitati conducat. Hac methodo paſſim utebatur S. Bernardus, atque in ſui fervoris exceſſu hæc ſecum: ſecuris jam ad arboris radices eſt; ſi ceciderit arbor, quanam ex parte ruet? Ubi jejunia mea, ubi auſteritates, ubi orationes? Quandoquidem miſericordia tua, Deus, expectando fatigata non eſt, mihique integrum ſinis reliquo hoc uti ſpatio, ullane re prohiberi poſſum, quominus illud tibi omnino devoveam? Tunc illius cor divino amore ſuccenſum nullum inveniebat obicem, nihil, niſi cruces, auſteritates, & paſſiones cupiebat. Agricola, cum flaveſcunt ſegetes, tanta aviditate ſerenos meſſis dies non expectat: quælibet dies illi ampliſſima erat meſſis, quotidie inſignem uberemque fructum referebat. Hæc una cogitatio, hodie mori poſſum, fovebat in illo hunc devotionis ſpiritum, qui eidem erat quodammodo particularis. *Idem.*

Dolor, quo mundo adhærefcentes omnia relinquere tenerentur.

Quinam fulmineus ictus homini mundo adhæreſcenti, cum vi morbi victus ſe coactum videt ad ea omnia deſerenda, quæ votorum ſuorum erant objecta, & vitæ ſuæ delectamentum? Cogitate, quomodo perculſus fuerit Saul, cum pallentem Samuelis umbram de tumulo cum omni mortis apparatu egredientem, atque contra ipſum terribilem hanc ſententiam proferentem vidit, & audiit: *Cras tu, & pueri tui mecum eritis*. Cras tibi in terræ ſinum ingrediendum erit, unde tua ſacrilega eduxit audacia. Talis erit impii jamjam morituri ſtupor, & metus. Quis tunc pavor, ac terror? Quæ cordis laniena? Profecto vincula omnia, quibus impius mundo vinctus adhæret, vel neceſſaria ſunt, & naturalia, vel libera, & criminoſa. Utraque ſimul in morte fiunt doloris ejuſdem argumentum. Naturalia quidem; non loquor ſolum de viſibilis hujus mundi luce, a qua in æternum ſeparandus eſt; non loquor ſolum de corpore, quod diſſolvendum eſt; non loquor ſolum de ſenſibus, ſecundum quorum teſtimonium judicium ferre conſueverat; loquor de vinculis naturalis, & rationabilis benevolentiæ erga conſanguineos, filios, amicos. Quo dolore hos omnes, quos ardentiſſime amavit, relinquere cogitur? &c. *Sermo manuſcriptus.*

Impii in morte peccatorũ ſuorum cogitatione terrentur.

Nihil in morte impiis majorem incutere terrorem poteſt, quam idea tunc de ſceleribus ſuis concipienda. Tunc temporis excitabit in illis Deus omnes ſtimulos, atque tumultus, quos illi, dum viverent, evitare conati ſunt. Eorum judicia tunc erunt æquiora, atque ſaniora. Ita de illis Sanctus Chryſoſtomus loquitur: *Pondus, & pondus*, ait ille, *menſura, & menſura*: pondus pro vitæ tempore, & pondus pro tempore mortis. Impuritas, dum flagitioſus homo ille viveret, morum quædam feſtivitas habebatur, nunc vaſtatrix flamma eſt, infernis flammis ſimillima: *Pondus, & pondus*. Aliena uſurpare, in vita prudentia videtur, & peritia, at in morte latrocinium, atque rapina: *Menſura, & menſura*. Eleemoſyna negata, in vita licita eſt omiſſio, in morte vero crudelitas, & homicidium: *Pondus, & pondus*. Detractio, in vita luſus, & licita recriminatio cenſetur, in morte vero durities, & injuſtitia: *Menſura, & menſura*. Et ſane quam longe differt conſiderare peccatum hac obvolutum voluptatis illecebra, qua tegitur, & peccatum denudatum cum omni turpitudine ipſius! Hoc pacto impius in morte illud conſiderat. Olim Propheta *Pſalm.* 17. dicebat: *Circumdederent me dolores mortis, & torrentes iniquitatis conturbaverunt me.* Antequam doloribus mortis conficerer, non audiebam iniquitatum mearum torrentem circumſtrepentem; ſed illius murmur me nunc turbat, ac terret. Fruſtra ſcitus Confeſſarius ideam hanc amovere conabitur prohibiturus, ne ruat in deſperationem. Omnia, ipſa etiam Jeſu Chriſti Sacramenta hanc illi ideam revocabunt. *Idem.*

Futuri cogitatio in morte illum turbat, qui male vixit, cum modicum fidei ſupereſt adhuc.

Horribilis futuri cogitatio par eſt terrori incutiendo homini flagitioſo jamjam morituro, dummodo modicum aliquid fidei in illo ſuperſit. Etenim quid de ipſa fide ſua illi metuendum non eſt? In imo corde agnoſcit, & recitat peccata ſua; ſed in Dei corde remiſſionem non videt. Quod centies audiit, morientis pœnitentiam ſuſpectam eſſe, ſæpe vanam, & illuſoriam, redit in mentem. Hoc actus terrore, quid ille ſibi in futurum fingere non debet? Peccator ſum; de hoc dubitare non licet; ſumne pœnitens? Hoc neſcio. Hoc in ſtatu ſpiritus ægrotantis, infirmitate religionis præjudiciis accedente, ſe ſpectris circumdatum putat, Viſi ſunt, quibus fides extremis illis momentis pro carnifice fuit, non ſecus ac ille, qui exclamabat: *inducias uſque mane, inducias uſque mane.* Qui me invaditis, dæmones, ſpectra, quæ me obſidetis, inducias ſaltem uſque mane mihi concedite. Ego quidem non intelligo, quomodo qui de morte numquam cogitavit, & numquam ſeſe eidem ſtuduit præparare, impetum adeo gravem ſuſtinere queat. Poſt etiam dubiam abſolutionem tempore adeo periculoſo receptam, quot funeſtæ repræſentationes vividam imaginationem perturbabunt, cum fides in mentem revocabit, quidquid maxime timendum religio eumdem docuerit! At enim ſalubres ſunt hujuſmodi cogitationes: ita ſane, Chriſtiani, donec bona utentes valetudine iiſdem ad ſalutem poſſumus uti. Sed in morte, ubi de recidivis prohibendis res non erit, fides ipſa fides erit inſtrumentum ſupplicii iis, qui male vixerint, & numquam de morte cogitaverint. *Idem.*

Crudelis anxietas, qua in morte homo irreligioſus torquetur.

Impius, qui eſt irreligioſus, & exlex, in morte magis adhuc incertitudine ſua torquetur, quam flagitioſus homo, cui aliquis ſupereſt ſenſus religionis. Et ratio conſtat; homo enim in iis, quæ ad religionem pertinent, æquo ſolutior contra rationem, ac fidem, hoc unum ad ſummum evincere potuit, ut dubitaret; adeſt Deus ultor, necne? Anima eſt immortalis, an ſecus? Religio chriſtiana verane eſt, an falſa? Neque enim cum aliqua boni ſenſus ſpecie dicere poteſt, ſibi oppoſitum eſſe perſuaſum. Itaque, ut ſummum, redactus eſt ad hanc dubitationem, videlicet ad hanc incertitudinem, an iſta ſint, necne. Sed illi ex hac incertitudine quinam cruciatus ſunt perferendi? Tandem fieri poteſt, ut vera ſit Jeſu Chriſti religio; at ſi ad meæ calamitatis cumulum hæc omnia vera inveniantur; ſi futuram vitam ingredior, antequam illam crediderim; ſi ex hac vita pedem efferens in infernum dejicior, quam infelix futurus ſum! quanam in re confidam? in religione mea? nulla mihi eſt: in naturali probitate? at vita mea non intermiſſa eſt ſeries iniquitatum. Qui timores! at non ideo inter nos impii deſunt, qui impietatem ſuam ad ultimum uſque vitæ ſpiritum producant. In morte omnes dubitationis ſuæ dolores evitare cupiunt: neque defuere, qui ex impiis facti fuerint concionatores; dum animam efflarent. *Idem.*

Quam neceſſaria ſit mortis cogitatio.

Mortis cogitatio eſt admodum neceſſaria; nos enim inducit ad facienda ea, quæ morientes a nobis certiſſime facta fuiſſe vellemus, ea, quæ neceſſario morientibus erunt facienda, ea, quæ fortaſſe a morientibus fieri, vel ſaltem bene fieri non poterunt, ea, quæ morientes nonniſi difficile faciunt, & ea, quæ tunc nonniſi inviti faciunt. Salutaris eſt hæc cogitatio, ac certiſſime nos ad bene vivendum adducit, videntes, nihil morientibus æque moleſtum eſſe, quam pravum uſum vitæ anteactæ. Hac de cauſa tot videntur, qui mortui proximi ſe fuiſſe vellent pauperes, vel religioſos; credunt enim hoc in ſtatu de morte fuiſſe cogitaturos, & hac cogitatione actos ſaluti ſuæ fuiſſe vacaturos. Profecto non ferendus dolor eſt, videre a ſe temporis numquam redituri jacturam factam fuiſſe. Ut dolorem hunc effugiatis, ſæpe mortem cogitate; ſingulos dies ita tranſigite, quemadmodum morientes illos tranſegiſſe velletis. Ridicula eorum eſt excuſatio, qui de morte cogitare nolunt, quia hac cogitatione triſtitia afficiuntur: quod idem eſt ferme, ac ſi animum intendere minime velles ad paupertatem, morbum, calamitates, quæ imminent, propulſandas; quia hæc graviſſima ſunt vitæ mala. *P. de la Colombiere in Chriſtianis conſiderationibus.*

Mirum eſt, quod homines adeo parũ ſint de morte ſolliciti.

Parum eſt, quod chriſtiani frequentibus, quos audiunt, de morte ſermonibus non moveantur; multo magis mirum eſt, quod ipſo mortis adſpectu minime afficiantur. Vident quotidie imaginem ejus, quod intra paucos dies futuri ſunt, in fratrum morientium facie; cubant in linteis, quibus obvoluti, tumulandi ſunt; dormiunt in cubilibus, in quibus animam ſunt acturi. Quotidie in templum veniunt, quo ſunt aliquando efferendi; terram calcant, in qua putrefacere debent, in pulverem mox redigendi: audiunt æris campani ſonitum, quo mors illorum erit nuntianda; & nihilominus, o cæcas hominum mentes! rident, lætantur, ſolatiis indulgent. Numquid parum eſt peccare, & Deum eumdem laceſſere, qui vitam eorum in manibus tenet? O Deus! quem admirabilis eſt ſapientia tua; quod hominem duræ huic, & immutabili mortis neceſſitati ſubjeceris! In quæ flagitia non rueremus, niſi hoc fræno cohiberemur? quo nos affectiones noſtræ non raperent?

Mortis cogitatio ſuperbiſſimum quemque humiliare debet.

Homo ſuperbe, oſtenta, quoad tibi placuerit, dignitates tuas, titulos, magnifica nomina; nonne vides hæc omnia unico mortalis nomine deleri, quod nullum

lum eorum veſtigium, niſi in ſepulcrali lapide, & inſcriptionibus, linquet, quæ id, quod fuiſti, enarrantes, apertius, te non eſſe amplius, nuntiabunt. Omnia honoris inſignia, quæ poſt mortem te ſequentur, aliena erunt, atque extra te; ſed conditionis tuæ cum calamitoſiſſimo quovis æqualitas erit in cineribus tuis, ac putredo tua, tuæque deplorabiles reliquiæ ſub magnificis hiſce mauſoleis, quibus contegentur, nihil habebunt, in quo ab aliorum hominum cineribus differant. Ambitio tua hæc cogitanti nonne æque ridicula, ac nocens videtur? Ad quemcumque elationis gradum attolli poſſit fulgidum hoc humanæ magnitudinis ſimulacrum, ad fulmineum horum verborum, quæ Propheta Regi morienti nuntiavit, ictum in pulverem non redigitur? *Morieris tu, & non vives.* 4. Reg. 20. Superbe mortalis, aſſume pennas aquilæ, ſequere rapidum tuæ ambitionis impetum, nidum tuum in nubibus ſtatue; te illinc mors detrahet. Cæca ambitio, quæ veluti mare omnium affectuum, quos cies, flatibus intumeſcens, fluctus tuos in cælum uſque attollis, momento in imum abyſſi decides: poſt tot procellas, tempeſtateſque excitas ſpumantes undæ contra illud arenæ granum alliſæ conterentur, ubi Dei digitus deſcripſit terminos dierum hominis, quos illæ numquam pertranſibunt; & fragmenta tot dignitatum, ac poteſtatum, quæ in hunc delatæ ſcopulum ſciſſæ ſunt, æternum erunt mortalibus omnibus documentum, qui inde ambitionis ſuæ inſaniam cognoſcent. *Abbas de Jarry ſermone de Cinerum cæremonia.*

Mortis cogitatio efficere debet, ut de Deo, & æternitate cogitemus.

Cum dierum meorum dimidium explevero, cum viribus, ac ætate valebo, in ipſo ridentis juventutis flore, in ipſo honorum meorum cumulo, ibo, ajebat Rex Ezechias, uſque ad oſtium ſepulcri; *In dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi.* Iſai. 58. Quæſivi numerum annorum, qui mihi ad vivendum ſuperſunt, & quantumvis diuturnum mihi vitæ ſpatium pollicear, breve tamen videns intervallum inter me, & mortem, dixi: Stamen annorum meorum brevi ſuccidetur; exturbabor de viventium numero, quemadmodum tabernaculum paſtorum, quod de loco in locum transfertur. Vix incipiet vitæ meæ orſus, cum illius ſubtegmen de mane ad veſperam abſcindetur. Hæc cogitans oculos ſurſum ad te, Deus meus, extuli; ſed attenuati ſunt oculi mei ſuſpicientes in excelſum. Quid dicam, cum fractis vinculis, quibus anima mea retinebatur, cum omnibus iniquitatibus ſuis ante tribunal tuum ſtatuetur? Ubi me abſcondam, quo fugiam a facie iræ tuæ? Heu! Recogitabo omnes annos meos in amaritudine animæ meæ: in anteceſſum ingrediar ſqualidam ſepulcri caliginem, ut per humiliationem ſpiritus mei aliquod mihi in ultionis diem perfugium inveniam. *Idem.*

Mortis cogitatione nihil aptius hominem humiliare poteſt, & ad pœnitentiā adducere.

Nihil aptius eſt ad animæ doloribus confectæ ſolatium afferendum, nihil magis idoneum ad animam pœnitentem in exercitationibus ſuis confirmandam, nihil validius ad animam in flagitiis ſuis obduratam excutiendam, quam mortis cogitatio; quæ præſertim præſentiſſimum eſt amuletum ad ambitionis vulnus ſanandum, & replendam animam illa humilitate, quæ pœnitentiæ principium eſt. Familiaritatem, ut ita dicam, cum mortis cogitatione ineamus, ut nobis minus terribilis accidat, cum advenerit; cum humili ſubmiſſione acceptemus humiliantem hanc legem, tamquam medium, quo pœnitentiæ noſtræ defectui ſupplere poſſimus. Deus vitæ noſtræ ſpatium producit, ut converſioni tempus tribuat; nos vero in recentibus delictis perpetrandis impendimus ſpatium illud, quod ad perpetrata ſcelera expianda nobis conceditur; tantum abeſt, quod debita diſſolvamus, ut recentibus quotidie obruamur, & indeſinenter aliqua ſemper acceſſio fiat huic iniquitatis theſauro, quem in diem ultionis cumulamus. *Idem.*

In morte noſtros agnoſcimus errores, & abjicimus præjudicia.

O quot falſa præjudicia extremis vitæ momentis evaneſcunt! Quam parum auſtera, parum difficilis tunc virtus videtur! quam triſtis, crucibuſque repleta, quacumque ex parte ſpectetur, vita improborum apparet! Sed quam durum eſt, tunc tandem ſuum errorem agnoſcere, cum reſipiſcendi ultra tempus non eſt, & cum inutili labore error abjicitur! Quam amara eſt inutilis ſuæ improbitatis confeſſio! Quam moleſtum eſt, tunc agnoſcere peccata ſua, cum nulla ſupereſt eorum corrigendorum via! *Laſſati ſumus in via iniquitatis, & perditionis;* Sap. 5. Hoc nequitiæ ſtadium percurrentes defatigati ſumus, omnes exhauſtæ ſunt vires noſtræ, & curſus adeo moleſtus, & gravis nos tandem ad æternum ſupplicium perduxit: *Ambulavimus vias difficiles.* Saltem nihil nobis perferendum fuiſſet, ut in interitum rueremus! Sed heu! viam ſepibus, ſtirpibuſque præpeditam ingreſſi ſumus, & iter difficillimum elegimus: *Viam autem Domini ignoravimus.* O Deus! quam paucioribus curis, angoribuſque afflictati fuiſſemus, ſi minus aſpernati virtutem eorum, qui nobis ſapientiores fuerunt, eorum ſecuti fuiſſemus exempla: *Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam.* Eorum modeſtiam, & verecundiam cacchinnis excipiebamus, deſpiciebamus illos, & ſuperbe in cœtus noſtros aditum illis prohibebamus. O cæcas hominum mentes! O noſtram inſaniam! *Ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt.* Homines illi, qui adeo contemptibiles nobis videbantur, illuſtres ſunt virtutis ſanctorum hæredes; & ecce jam in numero filiorum Dei adſcripti ſunt. *P. Croiſet in ſpiritualibus Conſiderationibus.*

De præparatione ad mortem.

Vigilantiam, & curam ſeſe ad mortem præparandi certiſſimam, & neceſſariam eſſe ad beatam mortem obtinendam viam, affirmare non dubito. Ut de hac veritate nobis perſuaſum ſit, ſatis eſt oculos in Evangelium vel fortuito conjicere: nulla enim fere pagina eſt, ubi communis hic divinæ providentiæ ordo nequeat deprehendi. Vigilate, Salvator hominum inquit, neſcitis enim, qua hora Dominus venturus ſit. Vigilate, alibi ait, quia diem, & horam mortis veſtræ ignoratis. His poſitis, hæc mecum colligite: ſi præparatio ad mortem res momenti eſſet exigui, vel modicæ utilitatis, ſi Chriſtiani parati, vel imparati, vulgo beatam mortem obirent: cur mundi Salvator adeo frequenter, & enixe eamdem incudem tunderet, ut videlicet extremæ huic horæ numquam eſſemus imparati? Profecto inferendum eſt, ſi etiam atque etiam hanc nobis commendat vigilantiam, ſi indeſinenter ſuadet, ut noſmet morti præparemus, hoc inde factum, quia æterna felicitas noſtra, vel infelicitas potiſſimum ab hac pendet ſollicitudine; & ille bene moriendi gratiam huic adnectit vigilantiæ, ideoque hæc certiſſimum indicium eſt, eos, qui ſeſe præparaverint, beatam mortem aſſecuturos. *P. Gegou libro, cui titulus: Præparatio ad mortem.*

Sapientum mundi hac in re negligentia.

Hac autem in re illud præ cæteris mirum videtur, quod ſæculi ſapientes negligentiam hanc in temporalibus negotiis agendis, tranſigendiſque nequaquam præſeferant. Nihil enim, licet leviſſimi illud momenti habeatur, aggrediuntur, quominus conſulte, & rite peragant omnia: attamen illi ipſi haud dubie ſe morituros eſſe; mortis horam incertam, & ex hac hora beatam, vel miſeram pendere æternitatem ſcientes, nihil tamen minus, quam bonam mortem concupiſcunt; nihil minus, quam malam mortem metuunt. Audiunt illi vocem filii Dei inceſſanter monentis, ut ſe præparent, ſemperque parati ipſius adventum expectent; & nihilominus neque minis, neque monitis commoventur. Vah! ſi hominum prudentia, & ſapientia conſiſtit in eligendis mediis, quibus facile optatum finem conſequantur, quo nomine hæc agendi ratio erit appellanda? Mors nonne vitæ finis eſt? *Idem.*

De mortis metu.

Mortis metus apertum indicium eſt, quod minime ducitur vita homine chriſtiano digna, neque ambulatur in arcta via, quam nos docet Evangelium. Et profecto naturale eſt, ſancti Patres inquiunt, cupere primum ex illo ſtatu egredi, qui violentus æque, & periculoſus eſt. Miles cupidiſſime deſiderat prælii finem videre, & partæ victoriæ fructu perfrui. Viator indeſinenter periculoſi, difficiliſque itineris terminum expetit. Quid autem veri chriſtiani via eſt? Via ſane eſt arcta, & impedita, ubi jugibus patet laboribus, atque periculis; prælium eſt, domeſticumque bellum, in quo patitur, ſibique vim infert aſſiduam, denique crux eſt, & ſine relaxatione martyrium. *Tota vita chriſtiani, ſi ſecundum Evangelium vivat, crux eſt, & martyrium. Idem.*

Si charitas, ut Sanctus Joannes ait, timorem expellit; ſi amicitia perquirit unionem, & ægre fert objecti ſui abſentiam; numquid amare Deum eſt, non teneri deſiderio videndi illum, metuere, ut aliquando perfecte cum eo conjungamur? Sed nonne illum odiſſe eſt, amare mundum infeſtiſſimum illius inimicum, ac timere exitum ex hac vita, ubi in jugi eum ledendi periculo verſamur? Hac in re Patres eloquentiam ſuam oſtentarunt. Si creditis, inquit S. Cyprianus, in cœlis eſſe Deum, & Deum hunc eſſe Patrem veſtrum; ſi creditis cœlum eſſe hæreditatem veſtram, vel patrem hunc vobis præparaſſe regnum omni bonorum, deliciarumque genere affluentiſſimum; ſi promiſſioni illius omnis ſpes veſtra debet inniti, cur non ſancta flagratis cupiditate patrem adeo amabilem videndi? Quomodo aſſiduis gemitibus, atque ſuſpiriis non teſtamini veſtrum deſiderium, quo impatienter in glorioſæ hujus hæreditatis poſſeſſionem accedere præſtolamini? Quare ex hac vita egreſſuri præ timore totis artubus contremiſcitis? quare nihil intentatum relinquitis, ut diutius vitæ ſpatium proferatis? quare vi hinc eſtis divellendi, quemadmodum trahitur ſervus nequam ad pedes Domini, cujus faciem, vultumque ſubire detrectat? Num ſecreta aliqua magicæ artis vi captivitatem veſtram illi præfertis coronæ, quæ vobis in cœlo præparata eſt? Quotidie petitis a Deo regni ejuſdem adventum, adventum videlicet diei illius, qui mortali huic vitæ finem imponat; & nihilominus ſimul metuitis, ut hoc regnum adveniat. *Idem.*

Chriſtianis minus quam Ethnicis mors eſt metuenda.

Ubi egregias intueor ideas, quas Ethnici philoſophi nobis de morte reliquerunt, fateri cogor, nullam eorum eloquentiæ partem inveniri. Dixerunt, ridiculum eſſe mortem metuere, cum videamus quot jam mortui ſunt, quot etiam quotidie moriantur, & quot ad mundi uſque finem morituri ſint. Dixerunt, totidem eſſe mortis momenta, quot vitæ, & quot menſes, hebdomadæ, & anni elapſi ſunt, totidem eſſe privationes rerum, quæ fuerunt, & amplius non ſunt. Modo mortem hanc conſiderarunt, tamquam exitum de carcere, & amiſſæ libertatis reparationem; modo tamquam militiæ finem; modo veluti univerſale malorum omnium remedium. De his diſerte adeo locuti ſunt, ſi S. Auguſtino *l. 4. de Civit.* habemus fidem, ut plurimi ſibimet mortem conſciſcere non metuerent, ut in anteceſſum eas ſibi procurarent utilitates, quas ſe relaturos opinabantur. Hic in miſeris erat furoris exceſſus; ſed majorem habebant, quam opus eſſet, animi præſentiam circa mortis metum, & quæ in nobis plus æquo deficit. Religio noſtra, quæ ſancta eſt, ac cœleſti lumine afflata, validas nobis ſuggerit rationes, non ſolum ne timeamus mortem, verum etiam ut illam amemus. Oſtendit quippe non deeſſe unctionem quamdam, quæ illius temperat amaritudinem ea ſuavitate, qua Dominus illam adſpergit: oſtendit enim ea, quæ maximum nobis afferre debent ſolatium. *Pater Bourdalove ſermone de morte.*

Mortui adſpectus ſalutare eſt documentum.

Si ſola mortis cogitatio ſatis eſt potens, ut nos in officio contineat, quem hodie fructum adferet illam intuentibus in eo viro, qui plures adhuc ſibi polliceri poterat annos juxta communem naturæ curriculum? Mihi videtur inde oriri debere effectus non longe diſſimilis ab eo, qui olim accidit in S. Chryſoſtomi perſona, cum Theodoſius Imperator illius jam defuncti corpus Conſtantinopolim juſſit afferri, ubi depoſitum fuit in Templo, inque eadem Cathedra, ex qua vivens concionem habere conſueverat. Sæpius Sanctus Antiſtes apud populum diſertiſſimos ſermones habuerat, nullum tamen eloquentiorem hoc, quem ea die tacitus peroravit: numquam frequentior adſtiterat auditorum corona; numquam ille tot, & tam uberes lacrymas elicuerat. Ita ſi umquam mortis imago ullam peperit in animis veſtris impreſſionem; id hodierna potiſſimum die contingere debet, cum Evangelium vobis ob oculos adoleſcentis mortem conſtituat. Silentium illius longe eloquentius eſt verbis meis; os illud mutum, oculi clauſi, pallida facies, corpus ſqualidum, & ſine motu, facundius apud vos de mortis neceſſitate, deque bene moriendi utilitate verba facit. *Idem.*

Diſcendum eſt bene mori.

Nulla nimia eſſe poteſt diligentia bene mori ſtudentibus: huic arti toto vitæ ſpatio opera eſt impendenda: *Tota vita diſcendum eſt mori.* Quamvis reliquas omnes callerem, hanc vero neſcirem, quid ad me? numquid hæc unica eſt, quæ impune poſſit ignorari? Numquam ſatis diſcere poſſumus, quomodo id bene fiat, quod ſemel tantum faciendum eſt, & cujus magni ſunt exitus; quod cum ſemel male factum fuerit, nulla reditus ſpes eſt, ac malum in æternum perſeverat. Nullum hac in arte experimentum eſt; ſi erras, error eſt irreparabilis. Unus tantum gradus eſt a tempore ad æternitatem; ſi pes labatur, in præceps ruis, numquam illinc evaſurus; hoc eſt, decidis in æternitatem infinite miſerrimam. O lapſum! Reparari quidem non poteſt; ſed præverti poteſt, ſi illi crebro animum & cogitationem impendas. Quamvis ea, quæ ad malum hoc evitandum, diligentia requiritur, eſſet difficillima, haud hæſitanter eſſet ſuſpicienda: unica vero, vel ſaltem præcipua eſt mortem ſæpe cogitare. Si mortem ſæpe cogitando mortem evitares, nonne aſſiduam in illa cogitationem defigeres? Illam vero cogitans malam mortem, miſerrimamque evitas æternitatem, quæ illam ſubſequitur; & de illa numquam vis cogitare! Nihil ergo magis metuendum eſt, quam mala mors. *P. Nepveu tomo primo Chriſtianarum conſiderationum.*

De mortis neceſſitate.

Moriendum eſt; hæc veritas eſt, de qua non licet ambigere: hæc ſententia eſt a divina juſtitia prolata, a qua non licet provocare. Lex eſt, cujus nulla eſt exceptio: Reges ſimul cum populis involvit, cumque illi toti terrarum orbi leges irrogaverint, & ipſi quoque huic pareant neceſſe eſt; nullum habent hac in re privilegium, nullam diſpenſationem. Adulatio, quæ ex Regibus Deos voluit efficere, illos immortales efficere non potuit. Tunc etiam cum ſublimi inſident ſolio circumundique gloria, ac triumphis ſepti, ac ſuper omnium hominum capita elati, non ſecus ac noviſſimus quilibet e plebe damnati ſunt, atque ut Apoſtolus loquitur, in ſeipſis ſuæ damnationis geſtant ſententiam. Audiunt, licet inviti, ſecretam vocem, quæ ad ſuperbiam illorum infringendam ait: *Pulvis es, & in pulverem reverteris.* Attamen cum certi ſimus nos morituros, vivimus, quaſi immortales eſſemus. Si æque certi eſſemus, nos numquam extremum obituros diem, ac certi ſumus illum aliquando obituros, aliamne vivendi rationem ſequeremur? Numquid minus de morte cogitaremus? *Idem.*

Juſtorum in mortis articulo conſolatio.

Si voluptatum, ac bonorum vitæ hujus intuitus nullum adfert viris bonis dolorem, cum morientes hæc omnia tenentur relinquere; ſi immo illis lætitiam parit, quia eorum vanitatem & agnoverunt, & contempſerunt; memoria eorum, quæ pro Jeſu Chriſto paſſi ſunt, memoria vitæ pœnitentis, ac latentis, vitæ, quæ non aliud fuit quam bonorum operum, ac piorum exercitiorum ſeries, quo gaudio hæc illos afficiet memoria! Fatendum eſt, chriſtiani Auditores, ſanctam, mortificatamque vitam in hominum mentibus varias impreſſiones efficere, prout varie ab illis conſideratur. Si illa ſpectetur, cum incipit, magnum aliquid, horridumque videntur triginta, vel quadraginta ſolitudinis, atque auſteritatis anni, triginta, vel quadraginta anni præliorum contra deſideria, omneſque naturæ affectiones. Quotuſquiſque hoc intuitus animum non deſpondet? Verum ſi hæc eadem vita eo conſideretur momento, quo deſinit, in ipſo mortis articulo, quam ſuavis videtur! quam optabilis! quam conſtans! *P. de la Colombiere Sermone pro commemoratione mortuorum.*

Si æger poſt diutinum morbum convaleſcens lætatur; ſi ſervus poſt plurimorum annorum captivitatem compedes ſuos infringi cum voluptate intuetur; ſi nauta poſt exhantlatas tempeſtates præ gaudio exultat portum, patriamque eminus videns; ſi natura univerſa reviviſcere videtur, cum primum naſcentis auroræ jubar cœlum inaurare, ſerenamque diem promittere incipit: quis unquam dicendo aſſequi poterit animæ ſanctæ lætitiam, cum videt finem imponi vitæ adeo triſti, & moleſtæ, totque circumſeptæ periculis, jamjam bonis, honoribus, voluptatibus in omnem æternitatem cumulanda? *Conſummatum eſt*, illa tunc dicere poteſt: jam ad ſtadii finem perveni, curſus quidem longus, & difficilis fuit; magni exerendi mihi fuere conatus, plures obices ſuperandi, graviſſima certamina ſuſtinenda; ſed Deo gratiæ immortales habeantur poſt multos labores, ſudoreſque *conſummatum eſt*: laborum tempus abiit numquam rediturum, nulli amplius erunt morbi, nulla adverſa, nullæ cruces, pœnitentia nulla. Nulla nobis erunt coercenda deſideria nullæ affectiones ſubigendæ; jam adſto ad fontem omnium voluptatum, & deliciarum, jam integra libertate perfruiturus ſum; jam hiſce oculis viſurus ſum, quidquid hactenus credidi cum labore; jam poſſeſſurus ſum quod cum anxietate ſperavi, jam in æternum amandus, amaturuſque ſum, quin ultra vel Dei iram vel levitatem meam extimeſcam. Neque putes ullam in his ſenſibus præſumptionem adeſſe: ſcio, donec vitæ ſpiritus ſupereſt, ſanctiſſimum quemque perire poſſe, non ſecus ac nequiſſimus quilibet poteſt immutari; ſed ſi hoc abſolute contingere poteſt, ſcio quoque hoc rariſſimum eſſe, & moraliter impoſſibile. *Id.*

In morte omnium terrenarum rerum errorem & vanitatem cognoſcimus.

Rex Propheta ſe throno inſidentem intuitus, atque circumundique ſeptum omnibus objectis, quorum vanitas affectiones omnes excitare conſuevit, a Deo gratiam petebat, qua adjutus eam diſſiparet illecebram, qua cor ſuum ſeducebatur; quæ gratia non aliud erat quam mortis memoria: *Notum fac mihi Domine finem meum.* Pſ. 38. Cum perſuaſum eſſet illi extremi illius momenti cogitationem frænum eſſe ſatis validum ad periculoſiſſimarum affectionum impetum compeſcendum, fatalem hanc horam noſſe cupiebat, ut illam jugiter meditaretur; *Et numerum dierum meorum, quis eſt?* Scio, Domine mihi moriendum: ſcio numeratos eſſe vitæ meæ dies: *Ecce menſurabile poſuiſti dies meos.* Hæc cogitatio nihilum meum mihi detegit: *Subſtantia mea tamquam nihilum ante te*; omniumque rerum creatarum vanitatem oſtendit: *Univerſa vanitas omnis homo vivens;* ac docet ea omnia, quibus mentes, & corda noſtra occupantur, non aliud eſſe quam umbram, chimæram, phantaſma: *Verumtamen in imagine pertranſit homo.* Eſſais de Sermons *pro Quadrageſima tomo* I.

Præparatio ad mortem numquam, ut aliis, in rebus, omnibus eſt inutilis.

Ex inevitabili mortis neceſſitate arguere debemus, indeclinabilem noſmet eidem præparandi neceſſitatem. Præparationes omnes, quæ ad alia quælibet negotia fiunt, eſſe poſſunt inutiles; ea enim deficere poſſunt negotia; ſed cum mors certa ſit, præparatio ad eamdem numquam ſuo carebit effectu. Quadam in familia ſecreta habebantur conſilia, ut virginem ſumma cum dignitate, ac utilitate traderent nuptui, ac negotium illud evanuit; inutilis apparatus. Ad honorem totis viribus contendebas; jam ſexcenta inieras conſilia, ut ad optatum finem pervenires; caſus aliquis te de ſpe deturbavit, inutiles curæ, & apparatus. At in mortis negotio hæc locum non habent; te illi diſpone, & omnia fluent e ſententia. Novum, & inſinuatum non eſt, quod in mundo pro rebus omnibus ſecuritas inquiratur; hæc vero pro morte negligenda eſt? De prædio, domo, gradu aliquo conducendis agitur? Bone Deus, quænam ſollicitudines, quæ præcautiones! pro mortis negotio nulla erit ſecuritas, nulla præcautio? *Ibidem*.

Juſtis mors non eſt metuenda.

Si juſtus omnem felicitatem ſuam in mundo collocaſſet, ſi tranſitoriam, & perituram fortunam fuiſſet aucupatus, ſi omnia illius conſilia intra anguſtos hujus vitæ cancellos fuiſſent circumſcripta, non immerito mortem mereret, quæ omnes illius labores everteret, ac ſpes falleret; ſed cum ſemper propter æternitatem ſeſe laboribus exercuerit, cum non aliam habeat cupiditatem, quam locum ſibi inter Sanctos acquirendi, neque ad aliam anhelet felicitatem, quam quæ ſanctam, & chriſtianam mortem ſubſequitur, quomodonam illud timere poteſt vadum, ultra quod ea omnia videt, quæ cupit, & ſperat? Ulluſne viator dolet, ubi itineris ſui terminum cominus adſpicit? Ullufne agricola non lætatur, cum meſſis tempus accedit? Ullufne captivus timet, cum compedes ſuos videt infringi? Scio quidem fracturam hanc non ſine vi fieri; at vis hæc comparari ne poteſt cum dulcedine libertatis, qua excipitur? Haud ita fideles; totis artubus contremiſcant peccatores ad ſolam mortis cogitationem; omnia procul ſemoveant, quæ illius imaginem poſſunt ipſis repræſentare: perhorreſcant intuiti tabo fluentia cadavera, quæ illud exhibent, quod & ipſi aliquando futuri ſunt; reformident crudelem hanc ſeparationem, quæ illos violenter avellet ab iis creaturis, quibus tenaci vinculo adhæreſcunt: hoc jure faciunt; quia ultra mortem nihil illis ſperandum eſt. Hic omnium voluptatum, opum, dignitatum, nobilitatis, atque potentiæ terminus eſt; brutorum inſtar vixerunt, nec aliam, quam brutorum felicitatem habebunt. Sed juſti tranquille Domini promiſſionibus acquieſcent, ſpes ſuas excitabunt per ea, quæ aliorum deſperationem efficient. Non verebuntur de hac in aliam vitam migrare, ibi enim ſedem ſuam conſtituerunt, atque ut illic certam ſibi compararent manſionem, adlaborarunt. Apparentem hanc ſui ipſorum deſtructionem non timebunt; ſciunt enim integram non futuram; ſed meliorem ſui partem in æternum cœli gaudiis perfruituram. Hinc fit, ut juſti non ſolum mortis cogitatione non perturbentur, ſed illam ſine metu adventantem excipiant. *Ibidem tomo* 2.

Fallitur, qui tranquillam ſperat mortem, improbam vitam ducens.

Suavem, tranquillamque ſibi mortem polliceri, ubi ea omnia fiant, quæ eamdem crudelem, & non ferendam efficiunt, ſingulis horis recentem ſuggerere eſcam cupiditati, quæ indeſinenter eſſet mortificanda, roborare ſingulis diebus hæc infelicia vincula, quæ inceſſanter eſſent infirmanda, ut aliquando ſenſim infringerentur, & credere ſe tranquille moriturum, ac ſine iis terroribus, convulſionibus, & lanienis, quæ ut plurimum in mortem peccatorum videntur; hoc ſane eſt ſeipſum miſere fallere. Heu! S. Gregorius inquit, omnia moriuntur in nobis, & extra nos, exceptis affectionibus noſtris. Abeunt amici, exiſtimatio perit, opes abſumuntur, valetudo imminuitur, corpus atteritur: domus hæc lutea, ubi Deus animam noſtram collocavit, fatiſcens undequaque ruinam portendit; nec de ſede mutanda cogitamus. Cupiditas eo magis confirmatur, quo magis infirmantur cætera, & moriuntur. *Specimina Panegyricorum pro Aſſumptione*.

De Mundi hujus rebus illud judicium ferendum eſt, quod in morte feretur.

Vera prudentia eſt vitam ſuam regere ſecundum judicium illud, quod de rebus fit a morientibus. Ubi hæc veritas ſimul intellecta, & ponderata fuerit, admirabiles gignere poteſt in animabus mutationes. Diſſolvit omnia vincula, quibus cor in captivitate detinetur; expellit errores omnes, quibus mens ſeducitur; omnis cura in eo collocatur, ut ſolidum in æternitate bonum comparetur; fluxa hæc omnia contemnuntur; unice Deus inquiritur, & nonniſi ut Deo obtemperetur, curæ impenduntur. Cum de re aliqua aggredienda agitur, de hac judicium fertur ex eo ſenſu, qui de eadem in morte nobis occurret; atque ut tunc ſecundum æternitatis lumen ſpectatur. Si nihilominus affectiones noſtræ nos rapiunt verſus ea bona, quibus ſenſus illiciuntur, iiſque ſuperari nos patimur, fatendum eſt, nullam eſſe inſaniam cum noſtra conferendam; etenim negotium illud, quo alterum gravius, majuſque fingi non poteſt, nullam in animo noſtro habet poteſtatem. *P. Surin, tomo 2. Dialogorum Spiritualium*.

Si ita nobis perſuaſum eſſet, uti deberet, mundum hunc exilii noſtri eſſe locum, & corpora noſtra carceres eſſe, mortis momentum tamquam ſolatii tempus reſpiceretur; cum una illa exilio & captivitati noſtræ finem valeat imponere. Sed e contra æternitatem in tempore invenire cupimus, ac permanentem obtinere perfruitionem earum rerum, quarum ſimplex tantum uſus conceditur. Cognoſcenda eſt hominum miſeria, deflendaque; atque toto pectore incumbendum, ne in miſerorum numero recenſeamur. *Abbas Trappenſis tomo primo de chriſtianis rudimentis*.

Deus ſæpe ſuas gratias negat morientibus, qui viventes illas contempſerunt.

Deus contemptus, neglectuſque recedit, cumque in extremis vitæ momentis verſamur, nequicquam ad illum confugimus; & ſæpe nullam habet precum, lacrymarumque noſtrarum rationem. Tempus ſuum habet ira, quemadmodum & miſericordia ſuum; cumque delaſſatus fuerit Deus loquendo, æternum ſervat ſilentium. Sapientis non eſt hujuſmodi eventum conſuetudini committere, & torrentem ſequi, non ſecus ac majori ex parte mortales. *Idem, tomo* 2.

De repentinis mortibus.

Mortes præcipites, atque repentinæ ſæpe hominibus magno ſunt documento. Docent autem nullo habendum in pretio, quod momento nobis eripi poteſt; vitam videlicet, omniaque illius bona quæcumque, & quantacumque illa ſint. Hujuſmodi caſibus percellimur, cum illos cominus intuemur; at niſi illis animum adjungamus, eorum impreſſiones quam celerrime delentur. *Idem*.

Nobis morientibus omnia occurrent peccata, acerbiſſimum terrorem incutiunt.

Peccator, dum vivit, de ſuis criminibus non cogitat, illa jam oblitterata eſſe putat; ſed jamjam morituro hæc ſeſe ultro repræſentant: *In depoſitum memoria tota remanet ſentina voluptatum*, Sanctus Bernardus inquit. Quamquam ſceleribus ſuis animum non adjiciat, memoria ejus nomenclaturam habet omnium voluptatum, ſordium, ſcœnorum, rapinarum, abominationum, quas ille, dum viveret, perpetravit. Peccator cum procumbit ad Confeſſarii pedes pro pœnitentiæ tribunali ſedentis, quærit peccata ſua, ſed hæc tunc ab illo fugiunt: cujus rei cauſam ſi quæris, Sanctus Petrus Chryſologus docebit, mirum eſſe non debere, ſi peccator ægre detegat peccata ſua, cum pœnitentiam peragere ſtudet, ea quippe ad cædem inquirit: *Interfectrix peccatorum pœnitentia*. Pœnitentia gladius eſt, lethale vulnus peccatis infligens: ſed cum pœnitentia peracta non fuit, & peccator in mortis agone verſatur, peccata viciſſim illum inquirunt ad interitum, & quamvis ille hæc evitare conetur, crudelem eorum occurſum nequit effugere. Hi duo ſtatus ſunt longe diverſi, quos in Scripturis deprehendere poſſumus, præſertim vero in Antiochi hiſtoria. Nullibi legimus, illum dum vita, ac bona valetudine frueretur, umquam recordatum fuiſſe ſuorum criminum, licet princeps eſſet nequiſſimus. Graviſſima ille commiſit ſcelera, aris ipſis non pepercit, & quin Dei majeſtatem vereretur, ſacrilegiis ſanctiſſimum illius Templum fœdavit. Attamen quoad vixit numquam ad hæc ſcelera appulit animum, de hoc ſaltem Sacer Textus non loquitur. At ubi mortem propius imminere conſpexit, turbatus eſt, rubore ſuffuſus, & horribilem confeſſus calamitatem, in quam erat jamjam redigendus: *In quantam tribulationem deveni, & in quos fluctus triſtitiæ*. 1. Machabæor. 26. Expalleſcit, & pertimeſcit: *Nunc vero reminiſcor malorum*. Nil mirum; quandoquidem ejus ſcelera, impietates, & ſacrilegia oculis ejus occurrunt. Hæc eſt eorum imago, quæ peccatori in peccato morienti evenient. Peccata ſua, quæ pro nihilo habebat, & quibus ne animum quidem ſerio advertebat, ſeſe offerent menti illius, eique horribilem terrorem injicient. *Specimina Sermonum pro nona poſt Pentecoſten Dominica*.

In morte id cogitamus, quod fuimus.

Extremo illo vitæ momento, cum ad infinitam æternitatem tranſitus faciendus eſt, tunc homines cogitantes, quid fuerint paucis illis diebus, quibus vixerunt in terra, ne reminiſcuntur quidem; & ſi quando ſubit recordatio ejus, quod fuerunt, ideo ſubit, ut majori cum amaritudine ſentiant, & quod ſunt futuri, & quod jam ſunt. Potens eram, latiſſimos poſſidebam agros, ampliſſimos adeptus eram honores, inſignes redditus auxeram, locupletiſſimis beneficiis cumulatus eram: *& ſolum mihi ſupereſt ſepulcrum*. Job 17. Omnia amiſſa ſunnt, nec mihi aliquid reliquum eſt præter tumulum. Magnificæ domus, ſuperba palatia, ubi collegeram quidquid exquiſitiſſimum ars potuit conferre, quidquid ex exoticis regionibus potuit afferri; ædes voluptuariæ, ubi lætiſſime dies traducebam; ornatiſſima ſupellex, perfectiſſime exornata cubilia, frequens familia, equi, bigæ, quadrigæ, ob quæ tanto habebat in pretio; hæc omnia jam non ſunt mea, & ad hæredes meos tranſierunt, nihilque mihi reſtat adhuc, quam atrum, horridumque ſepulcrum. Quam aptæ ad effectus coercendos ſunt hujuſmodi cogitationes! Beati, qui mortis articulum non præſtolantur tunc valido hoc uſuri remedio! In morte nulla eſt cogitatio, quæ dolorem non afferat. Præterita lacrymas eliciunt, præſentia tumultum cient, futura horribiles terrores incutiunt. Pœnitet eorum, quæ fuimus, ſed vulgo ſterilis eſt pœnitentia. Doloribus torquemur, eo quod non cogitavimus id, quod eramus futuri; ſed dolores inutiles ſunt. Graviſſimo angore premimur, eo quod frequenti conſideratione, & caſtigatiori vivendi ratione nequaquam prævertimus deplorabilem ſtatum, in quo ſumus; ſed nimis ſera eſt hæc ſollicitudo. *P. Croiſet tom. 2. Spiritualium Conſiderationum*.

Omnia hujus mundi bona poſt mortem ſunt inutilia.

Quid prodeſt homini dum viveret pluribus perfunctum fuiſſe dignitatibus, atque toga, ſagoque clarum fuiſſe? mors illum cum abjectiſſimo quovis mortalium confundit. Quid prodeſt mundanæ mulieri, quæ modo efflavit animam, mundus muliebris ingenti pretio comparatus? Illius ſuperbia, faſtus, ambitio, mollities cum illa deſierunt, ejuſque hæreditas modo putredo eſt, & vermes: *Cum morietur homo, hæreditabit vermes*. Eccli. 10. Quid prodeſt potenti Monarchæ non modicæ orbis terrarum parti imperitaſſe, hoſtium terrorem fuiſſe, &, uti loquitur Propheta, quoddam in terris numen extitiſſe? Si magnus hic princeps, qui modo humanis deceſſit, non eſt ſanctus, quæ tandem illius ſors eſt; & quid proderunt illi in inferno omnes mundi honores, & amplitudines? Quam triſte eſt aliis præbere hujuſmodi conſiderationum argumenta, & numquam illis vacaſſe! *Idem*.

Ut aliquis ſe morti bene diſponat debet creatis rebus ſeparari.

Cum mors qua damnati ſumus non ſit ſimplex corporum obitus, ſed omnium etiam creatarum rerum privatio, quandoquidem per ſcelus meriti ſumus, earumdem jacturam pati, & in æternum ab illis ſeparari, vera præparatio ad mortem in hoc poſita eſſe debet, ut ab illis, quantum poſſumus, ſeparemur, & privationes, quas Deus nobis immittit, acceptemus tamquam partes mortis illius generalis, cui adjudicati ſumus ea ſententia, quam contra nos divina tulit juſtitia. Si ergo providentiæ juſſu contingit, ut aliquibus privemur rebus, amicis, humanis ſolatiis, præſidiis, affinitatibus, hæc omnia recipienda ſunt tamquam mortis hujus principia; immo neceſſariæ etiam ſaparationes voluntatis rerum omnium inutilium, & minime neceſſariarum ſeparationibus ſunt prævertendæ. Quod conſilium ſi animo noſtro hæreat infixum, non deerunt ſingulis momentis occaſiones mortem hanc exercendi. *Ex ſpeciminibus Ethicis tom.* 10. *tract. præparat. ad mortem*.

Mortem noſtram cum morte Jeſu Chriſti Deo offerre debemus.

Quodlibet tempus idoneum eſt ad exercendam ultionem cum Jeſu Chriſto moriente; illud vero acceptius quo Domini mortem annunciare jubemur; videlicet ſanctum Miſſæ ſacrificium. In illo offerre debemus Deo corpus Jeſu Chriſti nobis mortui, & immolati in cruce; ſed cum morte ipſius & noſtra ſimul eſt offerenda, orando Deum, ut utrumque recipiat, & nos in terribili eo tranſitu confirmet. Ita commemoratio mortis Jeſu Chriſti noſtræ etiam complecti debet commemorationem. Cum autem hujus locus, ac tempus lateant, & Deo uni explorata ſint; hæc illi offerenda ſunt, qualia ipſe cognoſcit; præſentique devotione ſupplendum impotentiæ, in qua tunc erimus huic obeundo muneri minime pares. In ſingulis igitur ſacris adoranda eſt, & acceptanda mortis noſtræ ſententia cum omnibus illis circumſtantiis, quæ Domino placuerint. *Ibidem*.

Senſus Chriſtiani morientis, & oratio ab illo effundenda.

Sentio equidem me non procul abeſſe ab hora extrema, qua prodeundum erit coram Jeſu Chriſto ad ſententiam recipiendam, quæ de mea æternitate dijudicet. Hei mihi! quantum æternus mihi metuendus eſt interitus, poſtquam toties infernum meritus ſum? Verumtamen, Deus, in tua miſericordia confido, atque tuis meritis, o Salvator, tuæque ineffabili bonitati ſpes omnis innititur. Te obſecro, ne ſinas mortem tuam mihi inutilem eſſe, ſed adeo præſens mihi remedium præſta, ut te diligam, atque in cœlo æternis te laudibus proſequar. Interim animam meam ſanctifica, reple cor meum amore tui; & concede, ut animam in manibus tuis ponam, amoris erga te, & contritionis propter peccata mea actum eliciens. *Auctor recens*.

Animæ ſtupor ex hac vita egredientis, & in mortis articulo.

Quo ſtupore percellitur anima ex hac vita egrediens cum videt earum rerum, quibus vacavit, inutilitatem, & inevitabilem unius illius, quam neglexit, neceſſitatem? Poſt ſe in mundo reliquit quidquid ibi poſſidebat, & quidquid erga ipſam aliquo amoris ſenſu affectum erat, conſanguineos, amicos. Reliquit bona, palatia, honores, exiſtimationem, hæreditates; & ea in regione, quam ingreditur, nihil invenit niſi miſerrimam paupertatem, nullum opus bonum, nullum meritum ante ſe; cognoſcit, ſed nimis ſero, indigna ſuis curis fuiſſe illa omnia, quibus ſuos labores, & affectus impendit. Sola, ſtupens eo quod omnia ſibi elapſa ſunt, eo quod hæc mundi figura, quam deperibat, præteriit, vacuis manibus ſiſtitur ante Judicem ſecundum opera ejus de illius æternitate dijudicaturum. Quo dolore conficitur? Qua angitur deſperatione, quod adeo parum fuerit de ſua ſalute ſollicita? O Deus! Quot cogitationes occurrunt homini eo momento, quo ante oculos ſuos videt immenſum hoc æternitatis ſtadium aperiri; ſibique vel conſummatam, & nulla menſura, ac nullis terminis circumſcriptam felicitatem, vel infelicitatem infinitam offerri! Quomodo, & quo oculo reſpicit omnes humanos eventus, afflictiones, jacturas, viceſque fortunæ? Quid judicat de iis, quæ magna vocabantur negotia, vita felix, opimæ ſubſtantiæ, ſolatia, voluptates? Numquid deſiderio tenetur earum occaſionum, quaſi ſibi elabi paſſa eſt dignitatum acquirendarum, & opum congerendarum? Quænam illius ſententia eſt de iis, quæ in terra nos alliciunt, & faſcinant? Verum quid cogitat de vitæ alterius felicitate, & infelicitate; & quid nos ipſi de eadem extremo vitæ momento cogitabimus? *P. Croiſet in ſpiritualibus Conſiderationibus*.

Mortis cogitatio eos, qui bene vixerunt, non terret.

Mors ipſa, cujus ſola cogitatio homines voluptatibus deditos terret eo uſque, ut rationem illorum perturbet: mors hæc, cujus adventus adeo terribiles gignit tumultus; mors hæc, ad cujus adſpectum omnis amplitudo, faſtus, & humana felicitas evaneſcunt, mirum in modum animam juſti recreat. Mortis hujus turbatio tantum abeſt, quod illam perturbet, ut immo potius eam confirmet, ſoletur, atque inter acerbiſſimos dolores recenti illam voluptate perfundat. Qui mundum ſectatur, nullum invenit ſolatium, nullam voluptatem, quæ mortis, atque æternitatis cogitatione non perturbetur: nullus felix in mundo ad ſolam recordationem, ac imaginem terribilium judiciorum Dei non expalleſcit, atque cor ſuum repente amaritudine oppletum non ſentit. Viro bono hæc eadem imago ſalutarem quidem metum, at ſimul magnam in Dei miſericordia confidentiam inſpirat, & novam lætitiæ cauſam præbet illi cogitatio æternitatis: immo hac ipſa utitur cogitatione ad ſedandum ſexcentos exiguos dolores, & curas quaſdam ſenſibus, amorique proprio injucundas. Verum ſi mortis cogitatio tantopere mundanos terret, quid tandem mors ipſa? Et ſi hæc eadem cogitatio tanta afficit lætitia bonos; quid tandem cum præ foribus aderunt æternæ remunerationis? Quis dicendo aſſequi poteſt, quam jucundum, & ſuave ſit ſanctis, tunc ea ſecum reputare, quæ fecerunt, & quæ neceſſario ſibi erant facienda; cogitare ſe divinæ ope miſericordiæ nequaquam illud perpetraſſe malum, quod patrare poterant, & quod ſi patraſſent, jam de ſe actum eſſe cognoſcerent? *Id.*

Cum diuturna, & violenta ægritudo poſtquam ſanguinem vitiaverit, humores omnes, totamque corporis œconomiam perturbaverit, ſæculi hujus amatoribus oſtendet opus eſſe, eorum animam ſeparari, ac brevi prodire ad ſupremi mortalium omnium Judicis tribunal extremam æterni fati ſui ſententiam audituram, dic, quæſo, quantum percipient ſolatium eo quod ingentem opum vim collegerint, congeſſerintque theſauros, quod pinguia poſſederint prædia, ſuperbas domos vel emerint, vel ædificaverint, quod pretioſa ſtragula, ac ſupellectilem ſibi comparaverint, quod in republica primis perfuncti dignitatibus fuerint, quod in mundo magnam nominis famam fuerint adepti, illuſtres ſibi amicos adſciverint, omni voluptatum genere gaviſi fuerint, florentem familiam reliquerint, ac tandem ita felices extiterint, ut penes ipſos fuiſſe fortunæ viſum fuerit arbitrium? Heu! nullum ipſis afferre poteſt ſolatium harum rerum omnium cogitatio, quarum nihil reliquum aliquid eſt, quam vana imago, ac triſtis memoria. Quin immo e contra divitiarum, dignitatumque ſuarum cogitatio tunc temporis, cum ſeſe iiſdem brevi carituros videbunt, non alium in eis pariet effectum, niſi inutilia deſiderii, dolorum augmentum, hor-

toremque ſcelerum, quæ propter horum bonorum acquiſitionem, ac fruitionem commiſerint. *Liber, cui titulus: Dialogi Abbatis Joannis, & Euſebii Presbyteri.*

Cæcitas peccatoris in morte.

Reor mortis peccatorum diem in Scripturis diem tempeſtatis, & nebulæ vocari, ad innuendum deplorabilem ſtatum, in quo extremis vitæ momentis illi verſantur. Et ſane quid ille ſibi vult tumultus, & illa agitatio, ubi ambigere non licet, quominus tunc terribilis ſæviat procella, quemadmodum a S. Iſidoro Peluſiota vocatur: *Magna tunc ſane tempeſtas mentis.* Quid eſt hæc funeſta cæcitas, in quam patitur Deus miſeros illos decidere, niſi denſa nebula, quæ prohibet, ne videant, & cogitent ſupremum Judicem, qui jamjam extremam in illos eſt laturus ſententiam? Nonne atra illa nebula eſt, quæ prohibens, ne ſuam, uti deberent, infelicitatem cogitent, pernicioſiſſimam eiſdem ſtupiditatem inducit, in qua illos paſſim animam efflare videmus? Quamobrem S. Auguſtinus ait, Deum nullum umquam juſtitiæ ſuæ inſignius exemplum præbere, quam cum peccatorem puniturus permittit, ut ille moriturus ſui ipſius obliviſcatur: *Ut moriens obliviſcatur ſui, qui vivens oblitus eſt Dei. Idem.*

De præparatione ad mortem.

Cogitarene poſſumus terribilem illam diem, a qua noſtra pendere debet æternitas, ac nobiſmet perſuadere, neceſſum non eſſe eligere tempus, antequam dies illa adveniat, qua omnibus ſæcularibus curis expediti, & omnibus negotiis, quæ vitam noſtram partiuntur, vacui in id unum omnes induſtriæ nervos contendamus, ut apte noſmet huic morti præparemus? Nullam ſecuritatem, & requiem inveniri, niſi huic tantum vacemus operi, quod unum Jeſus Chriſtus neceſſarium appellat? E contra imprudentiæ, & cæcitatis eſſe angi, ac turbari plurimorum rerum cura, ut aſſolet; & præſumptionis eſſe, atque inſaniæ majori cum ſollicitudine non præſtolari terribilem hunc diem, quo audituri ſumus, quiſnam in omnem æternitatem futurus ſit ſtatus noſter, quam illum, quo viſuri ſumus exitum alicujus negotii, ubi de exiguo aliquo honore, vel de levi agitur utilitate? Nullus! dubio locus eſt, totam Chriſtiani vitam jugem eſſe debere mortis præparationem: tunc nihilominus, cum valetudo, vel ſenectus efficit, ut perpendentes exiguum illud, quod ſupereſſe poteſt, vitæ ſpatium, in nobis reſponſum mortis habeamus, ut Apoſtoli verbis utar; ſanæ mentis eſt rerum omnium curam abjicere, ac unice illis ſupputandis rationibus vacare, quas brevi ſupremo Judici ſumus redditurі. *Idem.*

Quid fit, dum viventes adhuc mortis cogitatione occupamur? Prævertimus extremum diem, extremum momentum, lumina perſpicacia, quæ tunc habentur; & quin expectemus donec cataſtrophe, atque enodatio rerum hujus mundi invitis explicet hoc vanitatis myſterium, illud ipſi ſanctis conſiderationibus explicamus. *P. Croiſet tomo 2. Conſiderationum.*

Mortis cogitatio præſens eſt contra affectiones remedium.

Mortis cogitatio præſens eſt contra omnes animi morbos medicina. Nulla affectio diu reſiſtere poteſt huic objecto, ſi rite ſpectetur. Solus tumuli adſpectus illam infirmat; nihilque melius, quam cineres illic inventi, illius ignem extinguit. Numquid affectuum noſtrorum impetus cohibendus eſt? Num eorum detegenda vanitas eſt, inſatiabilitas, ſævitia? Hoc mortis præſtat cogitatio. Omnis ambitio, cupiditas omnis ſuas vires amittit, ſtatim ac honores, & locupletiſſimæ ſubſtantiæ in mortis lectulo conſiderantur. Ibi adeo eminentes dignitates, ibi adeo fulgidi honores, ibi omnes divitiæ ſuum nitorem amittunt: immo earum inane, illuſio, & error detegitur. Dicere poſſumus mortis cogitationem præter propter in affectionibus noſtris illum ipſum præſtare, quod ipſa mors: *In illa die peribunt omnes cogitationes eorum.* Pſ. 145. Extremo illo momento evaneſcent omnia ambitioſa conſilia, omnes ideæ, ſpes omnes, illud fortunæ ſyſtema adeo bene conceptum, diſpoſitumque, cœpta omnia tanta arte, ac ſtudio parata, audaces conatus: *in illa die peribunt.* Omnia abeunt, omnia delentur, omnia, quæ placent, extrema die illa extinguuntur. Dum vivimus, nulla affectio non angit, non faſcinat, non allicit, non recentem felicitatem promittit. Mors omne tollit faſcinum. Die illa vincula non expectant, donec ſolvantur ipſa ultro infringuntur: idea hæc chimericæ felicitatis, qua nos paſcunt affectus, tunc in indignationem contra propriam inſaniam convertitur: *Idem tomo 2. Spiritualium Conſiderationum.*

Bonum, quod mortis cogitatio parit.

Cum nobiſmet mortis tabulam proponimus, ſtatim omnia creata conſideramus eadem ex parte, ex qua mors eadem nobis conſideranda proponet. Illa apprehendimus, de illis judicamus, non ſecus ac tunc temporis fiet; illa inepta, fallacia, contemptibilia eſſe cognoſcimus; noſmet exprobramus, quod adhæſerimus illis, cæcitatem noſtram deflemus, quemadmodum eamdem extrema vitæ hora deflebimus. In hac mentis, & cordis chriſtiana affectione paſſio deferveſcit, concupiſcentia non eſt adeo vivida, neque adeo inexplebilis cupiditas; mundi hujus dignitates, peritura bona, fœdæ voluptates, omnia languent, obtuſam, exilemque illecebram habent, fatuumque ſaporem, ex quo illa per mortis umbram inſpicimus. Hic ille fructus eſt, quem ſalutis iſta cogitatio producit. *Idem.*

Tumultus, ac timor, quibus qui male vixit, in morte excruciatur.

O Deus! quos ſenſus habere debet homo in agone poſitus; hoc eſt, cum homo, dolore, triſtitia, deſperatione, ſine ullo ſolatio, ſine ſpe, ſine præſidio circumſeptum ſe videt! Quidquid oculis ejus occurrit, quidquid auribus ejus accidit, illius metum, doloremque auget. Quonam animi angore illud reputat, & malum, quod fecit, & bonum, quod minime fecit, cum illud facere poſſet? Eo in ſtatu quidquid olim de judicio Dei, de inferno, deque æternitate auditum fuit, animum ſubit, eumque terribili ratione percellit. Mirum eſt, quam perſuaſum ſit de iis omnibus, quæ vitæ noſtræ objectum conſtituunt, huic homini, ubi paulo ante de rebus omnibus ambigebat; atque maxime terribiles veritates in jocum, ludibriumque vertebat. Quis terror, atque tumultus, ubi ſolum cogitet judicium, infernum, atque æternitatem? Attamen inter hanc triſtiſſimarum cogitationum confuſionem, inter hos tumultus, mortaleſque terrores efflat. Statim ac id timeri cœptum eſt, eidem ſuggeruntur argumenta confidentiæ in miſericordia Dei, adeo ardenter peccatorum converſionem cupientis; ſed nequicquam: irrita ſunt quæcumque auxilia, repente ille omnium ſenſuum ſuorum uſum amittit, ac internis conſcientiæ furiis, crudelibuſque pœnitentiæ ſimul, ac deſperationis ſenſibus traditus moritur, eodemque momento ſecum omnia gaudia, & ſpes omnes moriuntur. Momento illo omnia inania converſionis, ac pœnitentiæ conſilia evaneſcunt; tempus eo momento deſinit, ac terribilis illi æternitas incipit. Hinc finis eſt hominis illius, qui male vixit; hoc etiam fine mihi moriendum erit niſi ex hoc momento meliorem vivendi formam incœpero. Numquid melior eſſet animæ meæ ſtatus? Numquid alios ſenſus haberem, magiſque hilares cogitationes foverem, ſi modo mihi eſſet decedendum? Numquid me confirmare poſſem contra mortis terrores ego, qui mortem non cogito, quin totis artubus contremiſcam? Numquid mea mihi conſcientia mortem pollicetur tranquilliorem? *Idem in receſſibus.*

Fides, & veritates Chriſtianæ, quæ, dum peccator viveret, quodammodo erant extinctæ, illo moriente reviviſcunt.

Dum vivimus, affectionibus excæcamur, exemplo trahimur, objectis allicimur, negotiorum impedimentis occupamur, & videmur etiam cum oblectatione maximarum fidei veritatum fugere cognitionem, & fides ipſa ferme extincta eſt vitæ in omnem libidinem effuſiſſimæ flagitiis. In morte vero ratio, religio, ipſaque fides omnes vires ſuam reſumit: creditur, ſed ea fide, quæ dæmonum imitatur fidem, propter quam fremunt illi quidem, ſed non convertuntur. Mirum eſt, quod fateantur omnes, peccatores in morte deſperatione excruciari, quod mundanam duxerint vitam, mollem, inter delicias, & voluptates, quod pauca bona opera fuerint operati, quod, ut aſſolet, vixerint, & nihilominus poſt has conſiderationes, quarum veritas probata eſt, ne minimum quidem adlaboretur, ut inſtitutæ vitæ ratio corrigatur. Et nos ipſi, qui hæc modo conſideramus, deinceps vitam chriſtiano minus indignam vivemus? .... Dum vivimus, parum illud ſoliditatis, quod in mundi hujus bonis invenitur, nos minime movet; immo ne intelligamus quidem terrenarum voluptatum inane: in morte non videmus ſolum, verum etiam ſentimus; ſed concipere nequimus, quomodo citius non ſenſerimus hoc vacuum, & duplicem hanc egeſtatem. Palam videmus nos deceptos fuiſſe: ſed quam gravis dolor eſt, non eſſe amplius eo in ſtatu, ubi mederi poſſimus jacturæ, quam per errorem noſtrum paſſi ſumus? *Idem.*

Triſtis ſtatus illius, qui recens mortuus eſt.

Funeſtum quidem ſpectaculum eſt, ſed aptiſſimum ad immittendam in nos voluptatum, vitæque hujus bonorum nauſeam, ille, qui nuper animam efflavit. Vix ille extremum edidit ſuſpirium, cum omnes conticeſcunt. Licet ille omni pulcherrimarum qualitatum genere fuiſſet ornatus, nunc horrorem tantum inſpirat. Poſt lugubres aliquot preces, quibus illi parentatur, omnibuſque erga illum officiis finis imponitur, corpus illud tegitur, omneſque ſecedunt. Quo abiit pulchritudo, hilaritas, robuſtus corporis habitus? Quo magna illa cœpta, ac opulentæ ſubſtantiæ? Quid illi proſunt pretioſa aulæa? Quam illi operam præſtare

ſtare poteſt innumera ſervorum caterva? Ecce igitur quis ſit rerum omnium finis: verum anima ubi eſt? quid futurum eſt de corpore hoc, vel dicam melius, cadavere, quod ita jam putet, ut ferri non poſſit? Heu! licet hoc olim corpus fuiſſet mulieris formoſiſſimæ, & cujus ſpeciem omnes admirabantur, jam ultra videri non poteſt; cito domo expellendum eſt: vir, filii, amici, conſanguinei, famuli, omnes adnituntur, ut quamprimum efferatur: illi ipſi, qui eam majori benevolentia, & amore proſequabantur, præ cæteris impenſius lugubre ſpectaculum jubent auferri. Clauditur cadaver ſandapila, ingeſta humo tumulatur; quod vero in tumulo biduo poſt accidit, poteſt ne citra horrorem conſiderari? Jam ſepultum eſt; id unum reſtat, ut ejuſdem ſpolia diripiantur. Statim oblivioni traditur, pro nihilo habetur, quemadmodum re ipſa inter homines nihil eſt. *Idem.*

Quid conſiderandum cum mortuum cadaver efferri videtur.

Tunc vere, ac perfecte videtur, quam parum ſolidum ſit, quidquid deſinit, & de quo confuſæ tantum habebantur ideæ. Homine expirante, omnia cum eodem expirare videmus; gloria ipſum deſtituit, ſolumque ad Dei tribunal ſiſtit, ſecum tantummodo deferentem quidquid benefecit, vel male, ut in omnem æternitatem meritam referat vel remunerationem, vel pœnam: tunc liquet, nullam ipſi poſt mortem ſpem ſupereſſe, ejuſque fortunas, vel infortunia eſſe æterna; verbo, arborem, ubi ceciderit, ibi in æternum eſſe. Omnia labuntur, quilibet ſibimet dicere debet, mirabili pernicitate: *Tranſvolantibus momentis cuncta rapiuntur*, uti loquitur Sanctus Auguſtinus. Dei æternitas accedit, & pauca illa, quæ nobis ad vivendum momenta ſuperſunt, præſto ſunt, ut in terribilem illam infinitatem evaneſcant. Momentum, quod abeſſe non poteſt, novam nobis detegere regionem, terramque novam, atque tunc ea, quæ in hac vita majori habuimus in pretio, tamquam vapor, & fumus videbuntur. *Maupeou in vita Abbatis Trappenſis lib. 1.*

Miſer ſtatus in que mors omni redigit.

Nihil nos movere, & confundere magis poteſt, quam miſer ille ſtatus, in quo eſt, quidquid imperio mortis obnoxium eſt. Ibi videmus humanæ mortis myſterium re ipſa magnum eſſe, ac terribile. Omnem amplitudinem, pulchritudinemque ibi ad nihilum redactas cernimus, ibi florentiſſimæ ætatis finem videmus, ibi omnes proſperitates, omniaque mundi gaudia deleta intuemur; omneſque ſeu animi, ſeu corporis dotes, quæ magis enituerant, ibi annihilatas ſpectamus. Quidquid maxime horridum fingi poteſt, in corpore ſucceſſit iis, quæ ibi venuſtiſſima erant, & perfectiſſima. Per mortis potentiam viſa eſt ſæculi potentia, quæ latiſſime dominabatur, & maxime terribilis auctoritas evaneſcere; exiſtimatio, quam ſæviſſima tyrannis, ac violentiſſima uſurpatio brevi tempore adipiſci potuerant, viſa eſt interire; omnis ſuperbia, faſtus, omnis denique inanis labor ambitionis, & cupiditatis humanæ proſtratus eſt, quin aliquid præter ruinas ſupereſſet. Quam beati eſſemus, ſi horrida hæc objecta, quæ ſæpe oculis noſtris ſe offerunt, majorem in animis noſtris impreſſionem efficerent. *Ex S. Ephrem in vita eadem.*

Senſus hominis, qui male vixit, cum morti proximus eſt.

Quinam in mortis articulo ſunt ſenſus hominis, qui male vixit, cum Sacerdos, antequam prorſus recedat, crucifixum eidem ob oculos ponens, dicit illi; cum jam omnia remedia illi ſint nullius utilitatis, cumque extrema in hora omnes eum deſerant creaturæ, Jeſum Chriſtum impoſterum eſſe debere unicam illius conſolationem, atque perfugium. Ad unum Jeſum Chriſtum cruci affixum debes confugere, in vulneribus illius quærere debes contra mortis terrores ſolatium. Accipe ergo, frater, objectum hoc, unde plurimum haurias conſolationis, illud in manibus tuis tibi relinquo. Divinum objectum, omnium ſuavitatum fontem illi, qui dum viveret, ſeſe eidem conformare ſtuduit, & qui illud ad mortem uſque dilexit; at triſte objectum illi, qui voluptatem tantum amavit, qui in deliciarum affluentia vixit, qui æternitatem non cogitavit; & qui tunc tandem ad illud advertit animum, cum tempus deficere, ſibique nullum tempus ſupereſſe cognoſcit. Hic finis eſt omnium gaudiorum, ſolatiorum, hilaritatum hujus mundi; huc rediguntur omnes falſæ ideæ, omnia inania fortunarum, honorum, voluptatum conſilia. Ecce quo extrema illa hora redigatur improbus. Qui Jeſum Chriſtum non amavit, qui ſalutem ſuam neglexit, qui mollem, & voluptuariam vitam duxit, ullumne ſolatium recipit, cum moriens crucifixum manibus tenet. *P. Croiſet, tomo primo receſſuum pro ſingulis menſibus anni.*

Preces, quæ pro agonizantibus effunduntur.

Conſideremus ſenſus earum orationum, quæ pro agonizantibus effunduntur: *Proficiſcere anima Chriſtiana de hoc mundo*, Sacerdos exclamat. Hei mihi! quam parum jucundum eſt extremum hoc vale! quam durum illi, qui mundum amavit; qui fortaſſe nihil præter mundum amavit; qui nihil pro cœleſti gloria aſſequenda operatus eſt! *Proficiſcere.* Igitur jam actum eſt? jam jam omnino abeundum eſt; quocumque vinculo alligetur, quæcumque adſit difficultas, nihil relinqui vellet; ſed rebus omnibus moriendum eſt. *Hodie ſit in pace locus tuus, & habitatio tua in Sancta Sion.* Quanta charitate plenum eſt hujuſmodi votum! Sed quid cogitare poteſt peccator moriens, cum ipſum non fallit, nullam eſſe rationem, propter quam ſibi tantum boni expetatur audiens vocem conſcientiæ oppoſitum ſibi portendentis? *Miſerere, Domine, gemituum, miſerere lacrymarum ejus;* pergit Sacerdos; verum niſi alius dolor, quam quod iis ſe ſpoliatum videt, quæ ipſi erant chariſſima, hæc eidem extorquet ſuſpiria; ſi dolet, eo quod non poteſt amplius peccare; vel ſi mortis dumtaxat, infernique adſpectus verus eſt fons lacrymarum ejus, numquid Deus vocem iſtam exaudiet? *Idem.*

Actus doloris, contritionis, & ſubmiſſionis faciendi a morientibus, vel illis ſuggerendi.

Ecce me, Domine, corde ſimul, & corpore ante terribilem majeſtatem tuam proſtratum! Ecce me dolore confectum propter innumera peccata mea, ac juſtam ſeveritatem tuam, quæ præſto eſt, ut me in æternum forſitan puniat. Quo fugiam miſer, niſi ad te, qui ſupremus es Dominus meus, Creator, & Judex, ſed ſimul etiam Salvator, atque Redemptor? Non deſunt homines, qui cum alios homines affecerint contumelia, morti proximi communes amicos ad veniam petendam mittunt, eiſque ſuum amorem teſtandum, quin ab illis aliud expectent, niſi ut impetrata pace moriantur. Sed cum ego jam jam ſpiritum efflaturus ſim, quanto magis teneor ſpatium, quod mihi ſupereſt, in id impendere, ut a te veniam depoſcam, tibique dicam, ſi vixi, quin cognoſcerem te, mori ſaltem ex toto corde te diligentem? Agnoſco in amaritudine cordis hujus magnitudinem, multitudinemque innumerabilem peccatorum omnium, quæ commiſi contra te; fateor me ſæpe ſanctam legem tuam perfregiſſe, ſæpius ſacramentis tuis abuſum fuiſſe, atque ingratum erga te ſemper extitiſſe. Nulla creatura eſt, quæ potiori jure ſit a conſpectu tuo rejicienda: fateor me pluries meritum fuiſſe omnia tormenta, quibus damnati apud inferos excruciantur, & ſi plures eſſent inferni, omnes mihi deberi non nego. Ita eſt, Deus, æquus viventium, & mortuorum Judex, non minus tibi debeo, quam ſi de infernis ignibus me eduxiſſes, atque pluries corpus, animamque meam de manibus dæmonum eripuiſſes. Cupio, ut, poſtquam e vivis exceſſero, pii homines pro me te laudibus celebrent, tibique benedicant pro gratiis omnibus, quibus me cumulaſti, & quibus ingratum animum rependi. Hoc amoris, & reverentiæ ſenſu tibi corpus, animamque meam in tempus, atque æternitatem tribuo. Sed obſecro te per illum pretioſum ſanguinem, quem in cruce pro me effudiſti; obteſtor per tot ora, quot in ſacratiſſimo corpore tuo ſunt vulnera, ne ingrediaris in judicium cum ſervo tuo, ſed judices me ſecundum multitudinem miſericordiæ tuæ; & non peccatorum meorum clamores, ſed ſanguinis tui vocem exaudias. Applica mihi unicam ſanguinis tui guttam, unicam oculorum tuorum lacrymulam, unicum ſuſpirium, & ſalvabitur anima mea. *Liber cui titulus; Vera orationis idea parte 2. cap. 20.*

Poſt mortem nulla erit mutatio.

Ubi ceciderit arbor, ibi erit; ſi in occidentalem plagam lapſa fuerit, ibi permanebit: unico ante id tempus momento gratiam obtinere potuiſſet, ſed noluit; momento ſerius id vult, ſed minime poteſt: unicum momentum in illius voluntate, ac mente maxime admirabilem mutationum omnium peperit: *In illa die peribunt omnes cogitationes eorum.* Pſalm. 145. Tunc loco antiquarum idearum prorſus recentes aſſumentur. Quænam mutatio? Paulo ante peccator iſte in lectulo ſtratus Confeſſarii monita aſpernabatur, religionis contemnebat officia, mortem negligebat, ſibique plurimum ſupereſſe temporis arbitrabatur, ac imperterritus erat. Moritur, brevique unius ſuſpirii intervallo omnes illius ſubvertuntur ideæ, ſeipſum confundit, ac turbat; pudore ſuffuſus, & contremiſcens videt id, quod numquam videre voluerat; ſalutis neceſſitatem, chriſtianæ religionis officia, rerum humanarum vanitatem, ac horribilem calamitatem, quod numquam egerit pœnitentiam. Antea jocabatur, comeſſabatur, molliebatur magna, hilareſque ſocietates nectebat: atque intra unius ſuſpirii intervallum, Deus ferre diutius non valens bona ſua ab illo dari peſſum ei dicit: *Redde rationem villicationis tuæ. P. De la Rue, Sermone pro feria ſexta poſt quartam Quadrageſimæ Dominicam.*

Sæpe hæc vobis excidit confeſſio, quod minime velletis morte occupari eo in ſtatu, ubi eſtis, eaque

in vitæ ratione, quam eſtis ingreſſi: agnoſcitis ergo tutiorem viam ea, quam modo calcatis? Cur ergo non ſtatim alteram illam ingredimini, ne morte occupemini? Pro terrenis negotiis tot vadimonia, ſponſioneſque requiritis: cur in iis, quæ ad ſalutem veſtram pertinent, diligentia pari nequaquam utimini? Quin ergo voſmetipſos contra mortis obſtupeſacere, fallacemque tranquillitatem vobis comparare ſtudeatis, contendite potius, ut ſemper præſto ſitis morti huic recipiendæ, ac ſine tanta formidine prodeundo ad terribile Domini judicium vitam homine chriſtiano magis dignam viventes. *Idem Sermone pro Dominica Paſſionis.*

Dolor hominis in morte.

Si ſola mortis cogitatio adeo amara eſt homini inter delicias viventi, omnibuſque vitæ commodis perfruenti; quem dolorem illi mors ipſa non afferet? quam amaritudinem, deſperationem, tumultum? Cum illum divellet a bonis, & ſolatiis ejus; cum ipſe vocem audiet dicentem: *Succidite arborem*, quæ adeo profundas radices jecerat: *Excutite folia ejus, diſpergite fructum ejus*? Daniel. 4. Quam amaritudinem, quem dolorem, quam rabiem! cum videbit ſe amore vitæ, mortis propinquitate, infeliciſſimæ æternitatis metu laniatum; cum videbit ſe ab omnibus relinqui, ſe ab omnibus deſeri, a filiis, a famulis, ſibique omnia dicere extremum vale. *Sermo Manuſcriptus.*

Boni in morte relinquunt, quod in vita ſine amore poſſederunt.

Viri boni, qui terrena poſſident bona, quin poſſideantur ab illis, ea non ægre, neque gravate relinquunt; æque libenter eadem Deo jubente relinquunt, ac ab eodem acceperant. Impii vero: *non ſic impii, non ſic.* Quemadmodum receperunt bona, atque divitias per avaritiam, atque improbitatem, magna opus eſt vi, ut ea, quæ tanto cum amore poſſederunt, relinquant. *Divitias, quas devoravit, evomet*, inquit Scriptura Job. 20. Divites crudeles, cum morti proximi eritis, opes has male partas relinquetis, ipſumque ſanguinem evometis; ſed ſanguis hic veſter non eſt, ſed orphani, & viduæ: *Et de ventre ejus extrahet eas Deus.* Heu! quænam vis in hujuſmodi ſeparatione; cum furta, & rapinæ illius quodammodo in ſubſtantiam ejus tranſierint! *Joli.*

Quid impii in morte relinquant, & quid ſecum auferant.

Cum hominem videtis, cui blanda arridet fortuna, ne vobis inceſſerit admiratio, eo quod impius proſpero rerum curſu lætetur: *Vides viventem, cogita morientem.* Videtis quomodo vivit, eique invidetis; ſed inſpicite quomodo moriatur, & illius vos miſereſcet: *Qui hic habeat, attendis, quid ſecum tollat, attende.* Quid autem moriens ſecum aufert? *Quoniam cum interierit, non ſumet omnia*, Regius inquit Propheta Pſ. 48. *Neque deſcendet cum eo gloria ejus.* Nihil ſecum afferet eorum, quæ poſſidebat, & gloria, quam ſibi comparaverat, illum non ſubſequetur; ſed in ſepulcrali permanebit cippo mendax epitaphium: *laborant in titulum ſepulcri.* Hoc illi colligunt ex tot laboribus, quibus anguntur; hoc fortaſſe fidem adſtruet illos in terris felices fuiſſe; non ultra. Omnia hæc ingentia bona, quæ dives adeptus eſt, & quæ eidem beati nomen pepererunt, tranſeunt neſcio ad quem, & licet ea ſibi vellet auferre, hæredes illi adverſarentur. Hujus viæ mortales, ubi moriuntur, nihil ſecum eorum adferunt, quæ illos beatos faciunt ſed ea tantum, quæ eoſdem in æternum efficere debent infelices. Hæc infelicitas eſt; quam S. Auguſtinus ſatis deflere non poteſt, cum ait: *Ipſa eſt infelicitas hominum, propter quod peccant, morientes hic dimittunt, & ipſi peccata ſua ſecum portant. Sermo Manuſc.*

De mortis ſanctitate judicari non poteſt juxta indicia, quæ a moriente præbentur.

Centies Antiochi exemplum mihi terrorem attulit audienti quorumdam mortem, cujus circumſtantiæ, ac ſigna promittere videbantur eorum, de quibus narrabantur, ſalutem. Numquam hujuſmodi narrationes meis auribus accidunt, quin cogitationi ſubeant illa Sancti Auguſtini verba: *O ſi intus videres; quæ mors tibi videtur bona, peſſima eſt.* O homo, qui Dei neſcis arcana, ſi hujus pœnitentis cor tibi eſſet exploratum, videres utique eam mortem, quæ tibi ſancta viſa eſt, infelicem, funeſtamque fuiſſe. At enim ſumma pietate petiit, recepitque Sacramenta. Hæc quidem ſpecioſa facies eſt, non diffiteor: ſed *ſi intus videres*, videres utique id, quod latuit, prorſus differre ab iis, quæ vidiſti.... Hic homo erat, cui cum vel ambigua, vel nulla eſſet fides, voluit exiſtimationi ſuæ coram hominibus conſulere, & qui hac mente quamdam pietatis ſpeciem prætulit, ut populo fucum faceret, ne impiorum, atque reproborum morte raptus videretur. *Pater Aurelianenſis ſermone de Confeſſione.*

Peccatoris in morte metus, atque tumultus.

Seu peccator præteritum ſpectet, ſeu futurum conſideret, ubique doloris, ac deſperationis argumenta nanciſcitur. Si præteritum reſpicit, videt voluptates ſæviſſimis ſuppliciis ſæviores; ſi futurum, videt cruciatus, qui ſibi nimis jam præſentes eſſe videntur. Præteritum illum ad deſperationem adducit, quia ibi cernit bona, quæ nimium deperiit, & quæ retinere non poteſt. Futurum deſperationi ſuæ cumulum addit, quia illi ob oculos ponit mala, quæ numquam ſatis timuit, & quæ evitare non poteſt. Verbo, videt felicitatem, quæ nonniſi in illius memoria ſubſiſtit, & infelicitatem, quæ nondum nonniſi in ſola imaginatione poſita eſt; ſed quæ duæ ſunt illius inferni cauſæ, quem patitur in anteceſſum.... Quemadmodum mortis cogitatio peccatoribus in eorum voluptatibus accidit permoleſta; voluptatum cogitatio permoleſta morientibus eſt. Vel enim eorum jucunditatem conſiderant, & illas adeo cito relinquere nollent; vel earum vanitatem agnoſcunt, eaſque citius vellent reliquiſſe. *P. de la Colombiere.*

Patrata crimina impium morientem perterrebunt.

Peccator moriens omnes vitæ ſuæ maculas videbit, ac ſicubi memoria, quæ tunc nimis fidelis erit, deficiet, dæmones omnia ſingillatim revocabunt. Deus ipſe illius conſcientiam aperiet, atque uno obtutu plagas omnes illi videndas objiciet. O Deus! quam labem! quam teterrimam ſentinam! Quiſnam illius mephitim ferre poterit, quin animam efflare cogatur? Quot flagitia, quæ numquam præviderat, quot in uno peccato peccata, quot etiam in ipſis bonis operibus crimina? In hac ferme innumera cogitationum, verborum, & actionum caterva, quæ omnia ad unum Deum erant referenda, vix unum invenitur, quod contra Deum minime fuerit.... Tunc alii ſenſus aſſumuntur; tunc Deum, ac ſeipſum agnoſcere mortalis incipit, & duplex hoc lumen tantum deformitatis in minimis etiam criminibus detegit, ut non dubitem, quominus leviſſimum peccatum hac in luce inſpectum peccatorem ad deſperationem impellat. *Idem.*

O ſi redivivus pœnitentia tempus mereri poſſet! Hanc in rem S. Petrus Damiani exclamat, *quam duræ converſationis iter arriperet.* Si antequam ad terribile illud tribunal adduceretur, tempus illi permitteretur per mortificationem ſua expiandi flagitia, quonam ardore difficillimas exercitationes arriperet.... Præclara pœnitentiæ vota! generoſos, ſed inutiles ſenſus! inanem, ſerumque fervorem! cur non citius acceſſiſti, ſceleſtum hunc impœnitentem in alterum Auguſtinum mutaſſes? Sed actum jam eſt; nonniſi illius augere dolorem vales, ejuſque deſperationem acerbiorem efficere. *Idem.*

Infelicis æternitatis cogitatio quam terribilis peccatori morienti.

Æternitas, terribilis æternitas illa, a qua peccator uno dumtaxat momento diſtat, licet infinita ſit, ac immenſa, tota jam in illius mente collecta eſt, eumque pondere ſuo incipit obruere. Concipite, ſi fieri poteſt, motus, tumultus, & agitationem animæ jamjam in ardentem carcerem projiciendæ, ex qua ſcit ſe numquam evaſuram; quæ ſentit ſe tanta vi, cui reſiſtere nequit, impelli in horrentem abyſſum, unde nemo reddit unquam; verbo, uno tantum diſtare gradu ab ea voragine, ubi omnia congregata ſunt mala, & ubi mala omnia æterna ſunt. *Idem.*

Non miror, ſi mortales ægre id cogitent, quod ſummo cum dolore ipſis erit perferendum; ſed ſatis mirari non poſſum, quod cum minime lateat illos indeclinabilis neceſſitas omnia relinquendi, cumque graviſſimam prævideant pœnam, quam ea in ſeparatione patientur, quin ſenſim enodent ea vincula, quæ tunc tanta cum violentia omnia ſimul erunt infringenda, conentur illa arctius concludere, novoſque in dies ſingulos nexus adſtringere; perinde ac quo magis mundo adhæreſcunt, ſperent ſe mortis vim facilius eluſuros, quæ quidem omnia a nobis, atque noſmetipſos ab omnibus creatis rebus divellere debet. *Idem.*

Sæpe de morte loquimur, & raro de illa cogitamus.

Nihil in hominum ore frequentius mortis nomine, ſed nihil ab eorum mente, & cogitatione remotius. In ore Principum, nobilium, divitum, pauperum ipſis maximæ hilaritatis temporibus, veluti in connubiis verſatur; tunc enim de morte verba fieri maxime audiunt. In nuptiali enim contractu pertium contrahentium mors exprimitur, & in mortis caſu expliciti ſtatuuntur articuli. Nondum in lucem editi filii ſunt, immo nec geniti, cum jam de illorum morte loquitur, ſubſtitutiones fiunt; decernitur, ut qui ſecundo loco naſciturus eſt, ſi primogenitus deceſſerit, primogeniti jura obtineat; ut tertius ſecundo ſuccedat, ſi utrumque illum mors rapuerit. Verum id ſatis? Nondum. Plerique hominum donec vivunt, ſepulcrum ſibi conſtituunt, ac funebris pompæ apparatum præcipiunt, & nihilominus cogitatio mortis adeo rara eſt, atque infirma in eorum mente, uti nomen in ipſorum ore frequens eſt. Putant mori non aliud eſſe, quam ex vivis excedere, ac extremo ſtatu animæ ſuæ in cœlum aditum eſſe referandum. *Abbas de S. Martino in Quadrageſima.*

In mor-

Status hominis poſtquam male vixit morientis.

In morte impius cupit quidquid ſibi omnino impoſſibile eſt, puta, non vixiſſe, ut vixit, mortis ſuæ tempus differre; mortem accelerare, ut iis, quibus excruciatur, doloribus liberetur; velletque non mori, ut eos, qui ipſum manent, effugiat. Finge tibi hominem, cujus domus ardet, hoſtibus circumſepta. Tunc homo id amat, quod oderat; odit, quod amabat; præſertim vero odit amores, & odia ſua, & tanto magis dolet, quantum amore dignum intelligit illud, quod oderat, facile cognoſcit, quod illi videbatur impoſſibile, neque concipere poteſt, quomodo adeo exigui obices illum deterruerint. *Idem.*

Mundi ſectatores de morte ſermonem audire nolunt, ut illius memoriam evitent.

Novi equidem eos, qui mundum ſectantur, nequaquam pati verba fieri de morte. Perituris mundi hujus bonis poſſeſſis, potiuſquam poſſidentes illa, & alioquin ſibi diffidentes, ac judicium, in quo ſibi Deo rationes reddendæ erunt, reformidantes, quantum in ipſis eſt ex animo, & extremi illius momenti, quo rebus omnibus expoliandi erunt, & tranſitus terribilis, cujus terminus futurus eſt irrevocabile judicium, atque felix, vel infelix æternitas, memoriam evertunt. Sed, o fideles, ſi mortis cogitationem perhorreſcitis, numquid mihi pro virili adnitendum non eſt, ut eamdem vobis in mentem revocem, cum ſciam, quantum morum veſtrorum reformationi cogitatio iſta valeat conferre? Alioquin quid diſſimulare, quid tacere prodeſſet? Si deleta mortis memoria, ictum illius poſſetis effugere, atque communem legem evadere, qua omnes morte damnamur; oblivio illa, in qua ultro verſamini, fortaſſe minus eſſet damnanda. Sed heu! vel cogitemus, vel minime cogitemus, æquo gradu mors fertur; ſingulis diebus accedit: nos occupat, ac tollit, quin ulla hominum ope contra illam defendi, & adverſus ejus tela protegi valeamus. *P. Girouſt, ſermone pro feria quarta Cinerum.*

Inſignis prudentiæ, eſt, ſeſe morti diſponere potiuſquam vitam proferre.

Nonne nobiſmet dicere debemus; moriturus ſum; hac de re ambigere nefas eſt; quantumvis bene valeam, quantumvis ad ſalutem tuendam omnia adminicula impendam, in dies me invito vires meæ infirmantur, & quo diutius vivam, in dies magis infirmabuntur; annorum pondus, vel morbi vis valetudinem meam imminuent, & ego tandem moriar. Quin igitur illud quæram, quomodo vitam proferam, cujus certa jactura eſt; nonne ſatius eſſet hos eoſdem dies impendere, ne in eum ſtatum adducar, ubi illorum deſiderio conficiar, cum eorum ſtamen fuerit ſucciſſum? Timeo mortem; tranſitus hic me terret, quotieſcumque illum cogito; attamen huc deveniendum eſt, & certe deveniam. Nonne igitur prudentiæ intereſt me ipſum contra timorem hunc confirmare, quo tunc magis conficiar, cum mortem imminentem intuebor, niſi antea, ut oportebat, eamdem prævidero? Statim ac mors me ex viventium numero expunxerit; eodem momento, terribili momento eodem contra me, vel pro me ſententia feretur: prædeſtinatio, vel reprobatio mea conſummabitur; hoc illud eſt, quod nullo pacto eſt evitandum. Quid ergo nunc mihi faciendum eſt aliud, quam totus vitæ meæ curſus ſanctificandus, ut mors quoque ſit ſancta? Memoria hæc numquam ex animo mihi deberet excidere; ubi ſi alte eſſet inſculpta, eamdem ne vitæ rationem ab ineunte ætate ſuſceptam proſequerer, an prorſus oppoſitam mihi ſtatim amplectendam putarem? *Idem.*

Nulli rei minus, quam morti noſmet præparamus.

Nihil ferme præter mortem, & ea, quæ eamdem ſubſequuntur, eſt, cui noſmet oſcitantius præparemus. Reliquis rebus omnibus quam diligentiſſime noſmetipſos diſponimus. Aliquis rei militaris conſilium amplectitur; hic tamen in aciem non deſcendit, niſi maturato longis, difficilibuſque exercitationibus ſeipſum formaverit. Alius rempublicam optat capeſſere; hic tamen antea adlaborat, ut quibuſdam ſtudiis operam navet, quæ maxime in rem fuerint opportuna. Hic domeſticis negotiis agendis admittendus eſt; ab ipſa pueritia œconomicis inſtitutis imbuitur. Ille ad Eccleſiæ honores eſt promovendus; ſæpe humanis etiam rationibus quædam pietatis ſpecies eidem immittitur, quæ omnium in ſe oculos convertat. Sed neceſſaria ad bene moriendum quærere adminicula, iiſque uti, ſerio illa expendere, ad id mundi tumultus effugere, ſeſe colligere, bona opera exercere, hæc eſt curarum omnium poſtrema; & nihilominus eæ curæ, quibus cæteris rebus noſmet præparare contendimus, ſæpe inutiles ſunt: cum hæc ſancta præparatio ad mortem ſemper ſuum effectum obtineat. *Idem.*

Quamvis ſciam, prope eſſe, ut me occupet mors; quamvis exploratum mihi, compertumque ſit, illam ſingulis momentis propius accedere, rideo tamen, atque hoc in ſtatu poſitus, quæro ſolatia, perinde ac numquam ad ſupplicii mei locum eſſem perventurus. Quid umquam feci, ut me ad hunc tranſitum præpararem, qui ſanctiſſimo cuique tantum terrorem attulit, & firmiſſimas Eccleſiæ columnas concuſſit? Numquid precibus, eleemoſynis, atque auſteritatibus meis commeatum eam in regionem præmiſi, ubi nihil, niſi quod præmiſero, inveniam? Heu! in id unum incubui, ut mobili in arena mihi nutantem manſionem extruerem, quæ quamprimum vitium factura eſt, quin alteram in æternitatem manſuram ædificarem: *Ibit homo in domum æternitatis ſuæ.* Eccli. 12. Venio ad te Deus, ſincera criminum meorum actus pœnitentia; agnoſco, te dies meos produxiſſe, ut mihi præberes tempus, quo morti me præpararem; ideoque polliceor tibi, recipioque me illud, quod ſupereſt, vitæ ſpatium in adeo ſanctum uſum tranſmiſſurum. Hoc maximum, unicumque mihi erit negotium. *P. Paulus Segneri libro de vera Sapientia.*

Semper parati eſſe debemus morti.

In eſſe debemus, quod de primis fidelibus Tertullianus inquit, *Expeditum morti genus*, homines videlicet morti ſemper diſpoſitos, cogitationem hanc mente foventes, eamque gerentes in corde, mortem ſervitutis ſuæ finem, & libertatis initium putantes. Populus hic ab aliis differt, quia vitam contemnit, neque beatiorem ſe putat, quam cum illam amiſſurus eſt: quod alios angit, hunc ſolatur, & divini homines iſti ſcientes ſemper Baptiſmum a ſæculo ſeparatos eſſe, id unum optant, ut videlicet morte in æternum ab eo ſeparentur. Qui mortem timent, ignorant adhuc prima chriſtianæ religionis rudimenta, S. Cyprianus ait; & infirmitas hæc in illis tantum inveniri poteſt, qui mundanæ vitæ deliciis impediti ſunt, & quos ſæculum fallacis, doloſæque voluptatis illecebris faſcinat. *Abbas Trappenſis.*

Sæpe de morte cogitandum eſt.

Quid poſt hæc mihi a vobis, Auditores, expectandum eſt? Cogitate de veſtra agi æternitate, quandoquidem reliquis in rebus ſumma eſt a vobis diligentia, cur præcipuum hoc negotium negligendum exiſtimatis? Sexcentis impediti curis veſtri, animæ, atque æternitatis obliviſcimini: *Soli te negas tibi.* Tot ferventibus Chriſtianis mortis cogitatio ſemper animo obverſatur, vobis autem numquam. Moriemini tamen, non ſecus ac illi, & fortaſſe citius etiam, quam illi. Quis enim vobis diutiorem vitam ſpopondit? Quot hanc ſperantes decepti fuere? Verum quodnam temporis ſpatium vobiſmetipſis promittitis? Numquid adeo facile eſt bene mori? Heu! totum vitæ vix ſufficit ſpatium, ut bene mori diſcatis. Cæterum ſemel tantum moriemini, & error veſter hac in re irreparabilis erit, *Maimbourg in Quadrageſima.*

Mortis cogitatio ambitionem noſtram, omneſque animi affectiones coercet.

Nihilne eſt, quod vel omnino extinguere, vel ſaltem ambitionis noſtræ motus valeat moderari, quam cogitare, omnia ambitioſiſſima animi noſtri conſilia in ſepulcrum allidi denique debere, ac morte concludi? Omnes illos Principes, terrarumque domitores, quibus totus terrarum orbis nimis videbatur anguſtus, cum ingentibus cœptis intra breve tumuli ſpatium contineri? Nihil ex illis ſupereſſe niſi parum pulveris, cineriſque, & exiguum aliquod monumentum cum tenui fortaſſe laude aliqua conjunctum, quod minime ſeparat æterna opprobria, quibus inferno in ambitionis pœnam damnati ſunt? Ullane res magis coercere poteſt vanitatem mulieris ob vultus formam ſuperbientis, quam cogitare corpus illud, quod ſibi in idolum conſtituit, aliquando vermium fore pabulum, objectumque horroris omnibus, qui coluerunt illud, & fortaſſe ignium æternorum prædam, niſi immoderatum hunc corporis ſui amorem cohibeat, ac per pœnitentiam vitæ ſuæ labes expiare contendat? Aliquidne facilius mederi poteſt avaritiæ, immodicæque terrenorum bonorum cupiditati, quam cogitare, mortem illa nobis quamprimum eo majori vi ablaturam, quo magis ea dilexerimus; & ex iis omnibus nihil nobis reliquum futurum, quam linteum, quo tumulandi obvolvamur? Aliquidne aptius infringere poteſt furentis libidinis, qua tot mortales fœdiſſimas voluptates depereunt, impetum, quam cogitare, ſe brevi morte divellendos eſſe ex miſeræ illius pellicis ſinu, quam iniquiſſime Deo prætulerunt? *P. Dozenne libro, cui titulus: Mundus a ſeipſo damnatus.*

Male mortis defectus corrigi nequaquam poſſunt.

Nulla eſt experientia, unde hoc nobis percipere liceat; hic non accidit, ut in aliis artibus aſſolet, ubi ſenſim, ac per gradus ab imperfectione ad id, quod minus imperfectum eſt, aſcenditur, donec tandem per plurimos errores ad perfectionis apicem perveniatur. Ad hæc error unus fatalis eſſe non poteſt illi, qui artis perfectionem aſſecutus eſt, neque una jactura funeſta illis eſt, quibus in re aliqua maximi momenti, ubi vitæ hujus negotium aliquod agitur, fors non arriſerit. Si Oratori inſigni actio quædam male ceſſit, altera ſeipſo digna actione exiſtimationis jacturam poteſt reſarcire. Si quis exercitus imperator adverſo marte pugnavit; hac ipſa etiam ætate plures vidimus, qui victi de